TUBA EVANGELICA

EXERCITIA AD ECCLESIASTICOS HABITA

Quibus Dei gratia uberrimos novæ conversationis fructus in Clero peperit.

AUCTORE

QUODAM PRESBYTERO.

PARS SECUNDA.

EDITIO SECUNDA.



SENIS 1778.

Typis VINCENTII PAZZINI CARLI ET FILIORUM
Superiorum Facult.

SEXTA DIE

Hodie omittitur vocalis Oratio propter Confeſſiones generales.

Servatur jejunium.

SERMO V.

Mundi eſtote, qui fertis vaſa Domini; Iſaiæ c. 52. v. 11.

PRædicaturus, dilectiſſimi, de puritate, quam ſibi tremendum expoſtulat Sacrificium, quid dignum dicam, ignoro: imparem enim ad tantæ rei excellentiam ſignificandam me reputo. Verum quia obedientiæ vinculo conſtrictus ſum, aliquid dicere, prout dictaverit ſcientiarum Deus, opere pretium eſt. Audite ergo:

Scitis, quia docti in fide, quod verè ſit Filius Dei, quem quotidie ſacrificamus ſuper Altare, qui procedens homo ſine ſemine natus eſt Virgo ex Virgine. Ipſe propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, admiſit in ſe ſuſcipiens carnem noſtram humanas omnes miſerias præter unam. Hanc in ſe noluit admittere, concipi ſcilicet ut reliqui homines cum car-

nis delectatione, & ex corrupta Matre: ſed concipi ſine ſemine, ulla ſine carnis delectatione, & ex Virgine. Admiſit in ſe dæmoniacum, blaſphemum, ſeductorem haberi, & morte turpiſſimâ condemnari: ſed noluit ut ceteri homines carnem ſuſcipere. Qui totius puritatis fons, & origo eſt, noſtram aſſumens naturam exhorruit copulam: decuit namque hunc, qui ſociabat carni divinitatis ſubſtantiam, communis conceptus neſcire miſeriam. Perpendite ergo, Fratres mei, quantam debeamus colere puritatem, qui ex Altari Chriſtum ſumimus, puritatis auctorem. Noſtis quia legiſtis, quoniam Moyſes præcipiente Domino loquutus eſt ad populum, ut aſſumerent agnum ſine macula, atque *ſic*, inquit, (1) *comedetis eum: renes veſtros accingetis*. In renibus, ſeu lumbis luxuria agitur. Idcirco ad nos dicitur per figuram: *renes veſtros accingetis*: quod quidem itidem dicitur a Chriſto Domino: *ſint lumbi veſtri præcincti*. Tunc enim lumbos præcingimus; cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Agnus ille ſine macula Legalis quidem fuit agnus in littera, ſed Chriſtus in figura. Ipſe namque Agnus eſt ſine macula, quem hi tantummodo, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, ſequuntur, quocumque ierit. (1) Notandum eſt, Fratres, quod Joannes vidit neminem poſſe dicere canticum in conſpectu Throni, niſi hi, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati. Nam

for-

(1) Exod. c. 12. v. 11.
(2) Apocal. c. 14. v. 4.

fornicatoribus pars illorum erit in ſtagno ardenti igne, & ſulphure, quod eſt mors ſecunda. (1) Neque vos latere facilé credam, quod Chriſtus Dominus in ſindone munda involvi, atque in monumento novo, in quo nondum quiſquam poſitus erat, (dico fuerat) ſepeliri voluerit (2): quo non obſcuré ſignificatur recipientem Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti mundum, & purum eſſe debere, atque itidem mundum, & purum, qui ejuſdem Corpus, & Sanguinem ſacrificat ſuper Altare. Noſtis nihilominus, quod Iſraelitici populi Sacerdotes ad fores Tabernaculi Teſtimonii lavabantur aquâ (3). Cum ingrederentur tectum Fœderis, & accederent ad Altare lavabant manus, & pedes: nonullaque alia leguntur habuiſſe lavacra, ut ſic offerrent mundo corpore Sacrificia. Nos igitur, qui non vitulorum ſanguinem, ſed ipſum mundi Redemptorem offerimus Omnipotenti Deo, quo non oportet dilui lavacro? Quo non oportet eſſe puriorem tali fruentem Sacrificio? Quæ mentis integritas, quæ corporis, cordiſque puritas, cum Hieronymus habito in ſomnis turpi phantaſmate dicere audeat: ſi hujuſmodi pati contingat in ſomno, intrare Eccleſiam non audeo, & toto corpore contremiſco? Igitur ſi involuntaria in ſomnis phantaſmata pati efficit, ut terrore concutiantur oſſa Sanctorum, quo non oportet occupari terrore Omnipoten-

(1) Ibid. c. 21. v. 8.
(2) Math. c. 27. v. 59. Joan. c. 20. v. 41.
(3) Exod. c. 40. v. 12. & 29.

tis Ministrum, cujus concupiscentia pascitur specie mulierum? Si Sancti solum sine testibus cum muliere Sacerdotem accusant, etiam si carnem servaverit illibatam, quo vocis tonitru accusandos esse putamus, qui contempto Domino, atque immemores se esse tremendi Tabernaculi Sacerdotes, non verentur de Ecclesiæ facultatibus alere meretrices? Expavesco, Fratres mei, atque non sine horrore audire possum inter nos multos esse, qui impié polluentes Sanctuarium animam simul cum corpore diabolo tradiderunt, dum imperterrita fronte, atque animo irreverenti volutantur in sordido carnis luto more porcorum. Apparent Clerici in medio populi, quorum incessus, & amictus annunciant de eis non esse Ministros Altaris, sed filios perditionis. In noctis crepusculo, odientes lucem sicut qui malé agunt, Sacerdotale signum abscondunt, sæcularique habitu induti, atque sicariorum moré armis accincti penetrant domos fœminarum, ut in turpitudinibus simul cum eis sacrilegum possint habere consortium. Præcepit Dominus (1) Josue ut lapides, super quos ambulaverant Sacerdotes, dum Jordanem transirent portantes Arcam, in monimentum æternum reservaret tamquam reliquias ad edocendas de miraculo generationes futuras. Hodie vero (proh dolor!) calles, per quos frequenter incedunt nonnulli Sacerdotes, non debent tamquam reliquiæ custodiri, sed potius in talium Sa-

(1) Josue c. 4.

Sacerdotum ignominiam ſale ſeminari: quoniam *viæ perverſæ ſunt, infames greſſus eorum, & pedes ad malum currunt*. Veniunt ad fœminas obſequio deliniendas: ibi enim ſplendida cœna, ibi tripudia, ibi amatoria carmina, ibi ſaltationes ſine modeſtia, ibi prava colloquia. Sedent manducare, & bibere, & ſurgunt ludere, quo fit, ut æſtuante carne a vino, & a turpi colloquio, atque ſuſcitato plus ſolito libidinis incendio quandoque fiat, quod pudet dicere. Saltitare conſueſcunt poſt epulas, atque gerere geſtus, & motus, quibus ruinam patitur caſtitas, & accenditur prompta cupiditas. Chori duces facti ſunt ipſi Clerici. Ipſi puellarum reſtim ad ſaltandum ordinant: ipſi ad cytharam carmina intonant, quæ ad luxuriam excitant: in cujus ſatanico choro a libidine ſuffocati intermiſcent tactus, & oſcula, quæ conſumandi actus venerei ſolent eſſe principia (1). Sunt Clerici, & quidem quamplurimi, qui turpiter recedentes ab exercitio debitæ converſationis in hortum, in vineam, in agrum veniunt cum fœminis ad agendum villicum, ubi omnimoda cum libertate animum ad carnis argumenta convertunt optatam illam temporis horam transferentes in luxuriam. Ibi ebrietates, ibi comeſſationes, ibi cubilia, ibi impudicitiæ, ibi denique obſcœna, quæ caſtus pudor prohibet in medium producere, & modeſta non patitur Religioſitas aperire. Toto ex affectu jocantur, ſimulque col-

(1) Hieronym. in tract. de cuſtod. virgin.

colludunt, atque timoris Domini solventes habenas lætantur, cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis æstimantes diei delicias. Agentes villicum a curis explicant animum, & interea diabolus exercet negotium.

O Fratres mei! quid horribilius, quam fœtido luxuriæ cœno inquinari, atque ita turpi inservire passioni eos, qui conficiunt Corpus, & Sanguinem Jesu Christi? Illam immaculatam hostiam manibus attrectare non timet, qui paret carni, cum noxia jubet? Quomodo non horrescit sacras contingere carnes, qui carnes fœmineas attrectavit? O sacrilega temeritas! (1) Filium Virginis ore sumit, qui paulo ante oscula fœminæ impressit. Nec veretur perpetrans scelus horrendum ad terribile accedere Tabernaculum: sed ore fœtente, & corpore polluto demergit eum, quem Angeli videre concupiscunt. Inhorrent pili carnis meæ, atque tremor occupat animum, dum inter Sacerdotes auditur fornicationis sacrilegium. Quid restat, nisi ut ignis egrediatur de Sanctuario, & devoret eos, sicut quondam egrediens devoravit Nadab, & Abiud filios Aaron offerentes contra Legis præscriptum ignem alienum? (2) Quid, nisi ut percutiat eos Dominus super temeritate, & ibi miseré moriantur juxta Arcam Domini (3)? Horrore suffunditur facies mea, Fratres mei, & concutiuntur

ossa

(1) S. Hieron. de custodia Virginit.
(2) Levit. c. x. v. 1. & 2.
(1) Paralip. 1. c. 13. v. 10.

ossa pavore, cum audiam, cum videam Sanctuarii Ministros, qui cauteriatam habentes conscientiam, atque misere naufragantes circa castimoniam bibunt iniquitatem quasi aquam. Non proponentes Deum ante conspectum suum, contemptâ proprii honoris gratiâ, atque chymærica reputantes futura commutant Atria sanctitatis pro domo turpitudinis. Muneribus de Ecclesiæ facultatibus turpem foventes amorem nutantia mulierum corda facile emolliunt: cumque favor, & gratia firmaverit concubinatum, tradunt sua libidinosa corpora in carnis sterquilinium (1) *facti abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt*. Corrupti in prostitutione sua sine conscientiæ remorsu repetunt sacrilegia adiicientes in contemptum Salvatoris nefanda crimina non jam Clerici discentes sanctitudinem, sed *canes impudentissimi nescientes saturitatem*. (2) O Deus Altissime! Manus sacrâ unctione delibutas obscœnas fœminæ carnes palpare? Manus, quæ attrectant Venerabile Sacramentum, mulieris verenda tangere, & non horrere fœminæ corpus immundum? Quid magis temerarium? Os, quod tremendo nimis sanguine rubescit, in carnalibus osculis cum fœmina conglutinari, quid magis sacrilegum? Membrum Redemptoris, quod est corpus offerentis, facere membrum meretricis? Quid magis horrendum? Abhorrent aures: atque convertere potius oportet pupillas ad planctum,

(1) Oseæ c. 9. v. 10.
(2) Isaiæ c. 56. v. 10.

ctum, quam movere labia ad eloquium. O Clerice, quid tentas provocare Dominum, ut mittat percutientem Angelum, & fecet te medium? Quomodo non formidas in ipso luxuriandi actu mortis horâ tremenda concludi, atque cum rebellibus Angelis inextricabili infernorum barathro sepelliri? Quid agis, Clerice, oculos habens plenos adulterii, & incessabilis delicti vivens tamquam sus lota in volutabro luti (1)? Quare non times turpe cum fœminis habere commercium, & super tremendam Aram offerre Domino sacrificium? (2) *Abominabiles Domino victima impiorum*, oratio eorum fit in peccatum, atque Sanguis, quem de Calice bibunt convertitur in venenum. (3) *Irritam quis faciens legem Moysi sine ulla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcaverit, & sanguinem Testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratia contumeliam fecerit?* Duriorem quidem ignis æterni pœnam in inferis sustinebunt, qui turpiter diversantes apud tabernacula fœminarum polluto corpore, & corde offerunt Sacrificium. Quid tu sacrificas, qui Templum Domini, quod est corpus tuum, sic impié violas adamans impuro amore mulierculas, a quibus præceperat Dominus, ut servares manus innoxias? (4) *Nunquid carnes*

(1) Petri 2. c. 2.
(2) Proverb. c. 15. v. 8.
(3) Ep. ad Heb. c. 10. v. 28.
(4) Jerem. c. 11.

nes sanctæ auferent a te malitias tuas in quibus gloriatus es? Non gustas vitæ poculum, sed mortis toxicum: non calicem salutis, sed vasculum perditionis.

O Fratres dilectissimi! damnatio Clerici, luxuriis assueti, non probabilis, sed certa est. Qui in carnis peccatum semel est lapsus, difficilé ad veram pœnitentiam reducitur. Qui vero in luxuriæ sordibus assiduus est, nunquam convertitur. (1) *Si peccaverit vir in virum placari ei potest Deus: si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Anima ejus in interitum properat. Verum est, quod Sacerdotes, qui talia agunt, converti possunt, sed non convertentur: dicit enim Prophæta: (2) *non dabunt cogitationes, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum.* Nihilominus me legisse memini: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, & pardus varietates suas, ita & vos potestis benefacere, cum didiceritis malum.* Unde Sacerdotes, qui luxuriæ cœno volutantur, necessario condemnabuntur. Converti possunt, dum vivunt, salvari possunt, si mutent animum: sed non mutabunt, & ideo necessarió peribunt. Necessarió dixi non necessitate absolutâ, sed conditionatâ. Usque modo non legi Presbyterum sectantem ex consuetudine carnis luxuriam ad veram pervenisse pœnitentiam. Ratio est, quia hujusmodi passio præ reliquis exceptâ avaritiâ, cor indurat, & liberum arbitrium ener-

(1) Lib. Reg. I. c. 2. v. 25.
(2) Oseæ c. 5. v. 4.

enervat, ne patiens poenitentiam agat. Incrassata passio per vitium remittit animum aggravans, & suffocat, si quid eliciat, pœnitentiæ propositum. Idcirco Prophæta dicit: non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Dominum Deum suum, quia spiritus fornicationis in medio eorum. Igitur confabulatio cum mulieribus parit amicitiam: amicitia nimiam confidentiam: nimia confidentia actum: actus consuetudinem: consuetudo necessitatem: necessitas impœnitentiam: impœnitentia sempiternam ruinam.

Idcirco quia consuetudo cum mulieribus res valde periculosa est, ut eradicetur propinqua labendi occasio, Sacro-Sancta Nicæna Synodus cohabitationem prohibet cum mulieribus (1). Idipsum prohibitum est in Sacris Canonibus: quatenus hujusmodi consuetudo semper extiterit obnoxia periculo. Sed prævaluit (proh dolor!) adversus Sacro-Sancta Instituta opinio illusoria, quam parit carnalis concupiscentia, dum pene omnes neglecto mandato, & contempto periculo ancillas juvenes habent in ministerio; quo fit, ut multi vivant tamquam in matrimonio. Utinam mendacium potius loquerer. Quis apud se habet ancillam juvenem, & luxuriæ carnis non sentit ardorem? Clericus otiosus vinum bonum habens in cella vinaria, capones, perdices, & sapida frusta carnium in mensa, qui colit ventrem, & in molli culcitra dormit ad satietatem, orationis ignarus, morti-

tifi-

(1) C fœminas dist. 18.

tificationis inſcius habet in miniſterio juvenem pulchram, & non ſentit ſaltem carnem inquietam? Vel paſſim uritur a flamma venereorum, vel eſt inſenſibile lignum, vel Angelus in Regione mortalium portans corpus aereum. (1) Semel in die reficiebatur fabâ Hieronymus; aquam frigidam bibere in illo deſerto luxuria erat. Habebat a jejuniis ſolam pellem, & oſſa, atque ob rigidas ſeveritates relicta ei erant tantummodó labia circa dentes, & tamen, ut ipſe teſtatur, adhuc libidinis incendia bulliebant ita, ut quandoque de ſpelunca egredi atque in proximam vallem venire cogeretur vociferans ad Chriſtum Dominum *miſerere mei quem redemiſti*. Quanto acriori luxuriæ incendio inflammabitur Clericus, qui ventri indulget, qui vacat otio, & habet proportionatum objectum in conſpectu ſuo? Vivus dolor intima cordis occupat, cum in domum Clerici ingredior, & juvenes ibi fœminas video elegantulâ formâ compoſitas, & circumornatas ut ſimilitudo Templi capaces ad provocandum etiam Anachoretas Ægypti: quanto magis animum Clerici dilatati, incraſſati, & impinguati? Etenim ancillas juvenes habere in domeſtico miniſterio valde periculoſum eſt. Sed quid dico periculoſum? (2) *Semper eſſe cum fœmina, & fœminam non cognoſcere nonne plus eſt, quam mortuum ſuſcitare? Quod minus eſt, non potes; quod majus eſt, vis credam tibi?*

 Quo-

(1) In epiſt. ad Nepot.
(2) S. Bernard. Serm. 65. ſup. cant.

Quotidie latus tuum ad latus juvenculæ est in sella: cubile tuum ancillæ cubili vicinum: oculi tui ad illius oculos in colloquio: vides eam quandoque nudam sine exteriori vestimento a repentino servitio, & continens vis putari? esto ut sis: sed ego saltem suspicione non careo: scandalo mihi es. Tolle scandali causam: ejice ancillam. Patres nostri in statu justitiæ originalis carnis rebellione carentes de ligno vetito gustarunt; & tu cum carnis rebellione, & obiecto præsente vis credam te posse a libidinis igne liberum reservari? Numquid a Deo diploma habes, vel speciale aliquod privilegium, ut etiam si portes ignem in sinu, non ardeant vestimenta tua? Ego arbitror juvenes fœminas habere in domestico ministerio, & non peccare, cum vivacissima sit carnis potentia, & facillimé mobilis ad turpia, sine miraculo fieri non posse. Quis est qui immunis glorietur a turpi saltem cogitatione? Ecce cogitatio parit delectationem: delectatio consensum: consensus actum. Quod si Clericus hodie non cecidit, crastina die lapsum non effugiet. Etiam si id fieri posset, & Clericus non peccaret, fœminas juvenes apud se habere non debet, quia scandali causam, quæ proximis datur a se omnino removere tenetur: unde extat illud a patribus: (1) *Escludenda est omnis nefanda suspicio.* Non ignoratis, Fratres charissimi, quæ, & quanta in Sacris Canonibus scripta sint de cohabitatione Clericorum, & fœminarum. Omnia eo tendunt, ut elimina-

(1) C. in omnib. dist. 83.

nata penitus consuetudine; amoveatur ab eis labendi periculum. Mulieres namque (1) *auferunt cor: & apostatare faciunt sapientes* (2). *Laqueus venatorum* dicitur mulier in Scripturis. Qui timet Deum, effugiet illam: est enim dulce venenum inficiens formâ, interficiens loquelâ, & omnia eradicans genimina. Nihil viscosius, nihil facilius, nihil carnis luxuriâ vivacius. Illicium est mulier, quo dulciter trahitur hominis anima in carnis concupiscentiâ. Ipsa perdidit viros gigantes in sanctimonia. Unde exiit proverbium: inter sanctam, & sanctum pone parietem æreum. Quis es tu, dic, Clerice, dic, Sacerdos, qui pulchram habens juvenem in ministerio jactare te possis immunem a delicto? Nec Samsone fortior, nec David sanctior, nec Salomone sapientior. In sinu scorpionem fovere, & puncturam effugere? Quis est iste, & convertam declamationis argumentum in laudis eloquium? Hoc non facit homo pœnitentiâ rigidus, & credendum est, quod facere possit Clericus crassus? Igitur cohabitatio, & consuetudo vitanda: quia ex conditione inevitabilis est carnis luxuria, vel impossibilis saltem pura coscientia.

Proh dolor! pro eo quod Clerici juvenes habeant fœminas in ministerio, superabundant scandala in populo: non enim facilé latere potest, quod multi vivant in concubinatu. Ipsa nihilominus exterior

(1) Prov.
(2) Ecclesiast. c. 7. v. 27.

compositio transversam mentem habere declarat, atque phyloginiâ laborare manifestat. Optimé sciunt, quod fœminæ externarum rerum figurâ trahantur: idcircó qui juvenes fœminas in ministerio non habent, allicitivé se componentes ad capturam, extra domum solicitant. Luxuriæ spiritu miserabiliter occupati nihil nisi de externo cultu, & elegante compositione, cogitant circumspicientes, si bene incedant, multo magis soliciti ne vestem sordes ulla commaculet, quam ne diabolus animam peccati gladio trucidet. Spirantes carnis desideria procedunt in retorta, atque Cypreis pulvisculis albefacta capillatura, quam ut in gratiosa positione conservent, cum ad celebrandum veniunt, Amictum capiti non imponunt. Quid a Clerico, quid a Sacerdote magis alienum, quam meretricia cura comarum? (1) Etenim *comarum curam gerere vel infelicium est, vel injustorum*. Si de fœminarum ornatu loquens Apostolus ait: *non in tortis crinibus: non in capillatura, vel veste pretiosa* (2). Quid hodie diceret si de Clericorum digitis anulos radientes videret? In vacuum laborasse in vobis clamaret: a vocatione vestra excidisse ingemisceret: nam Clericus anulatus vel Episcopus, vel uxoratus. *Ego autem cum anulatum Clericum video, sponsum magis, quam Clericum reputo* (3): innuit enim anulus, quod non sit Clericus, sed mari-

ri-

(1) S. Basil. hom. 24.
(2) Ad Timoth. I. c. 2. v. 9.
(3) S. Hieron. de custodia virginit.

ritus. O misera Clericorum subversio! Ad quid hæc in Clericis meretricia ornatus compositio? *Forma hæc vestium deformitas mentium, & morum est*. *Omne agens*, ait Phylosophus, *agit propter finem* (1). Clericus vel se pulchré componit, ut placeat Deo, vel sibi, vel mundo, vel fœminis, quæ externarum rerum pretiositate trahuntur. Si se componat, ut placeat Deo, blasphemus est, quatenus putat in externarum rerum imagine Deo placere posse. Si se componat, ut sibi placeat, nihil illo nequius. Si ut placeat mundo, ecce cum impiis sortitur partem, nam, ut ait Apostolus, *si hominibus placerem, Christi servus non essem*. Si vero, ut mulieribus placeat, pulchré componitur, luxuriæ carnis reus esse convincitur. Quomodocumque fit, in Clericis exterior cultus revera vitiosus. Ægram patitur mentem, qui de capillatura, anulo, & vestibus habet solicitudinem. O quot, & quanti, qui Clericalem habitum gestant, insanâ mente laborant! Passim occurrunt qui ad modos compositi, mundialiter culti incedunt per medium populum inter duas fœminas insertis hinc inde brachiis accendentes earum facilem concupiscentiam, atque habitu, gestu, nutu, & loquela spirantes luxuriam. Cum tales video gradientes inter fœminas per compita Civitatis, corruo præ verecundia, quia infamia est Ordinis insolentia gradientis. (2) *Quid tibi cum fœminis*, dic,

 Cle-

(1) S. Bernard. de consid. ad Eug.
(2) S. Hieron. ibid. in tract. de custod. virgin.

Clerice, dic, Sacerdos, qui cum Domino confabularis? Siste, miser, & pedes revoca a semita perditionis. Sed heu heu! quid dicam, aut quid loquar de his, qui abiecto Clericali habitu sine verecundia, sine timore, sine conscientia personati conveniunt agere bachanalia? qui facies peccatorum sumentes domos mulierculatum penetrant sine discrimine parantes tripudia cum actionum insolentia, & consumantes infernales jocos in voraci lascivia? Mutant vultum, sed non animum: imo sub persona potius accendunt, ut liberius perpetrent turpe flagitium. Ignoscite mihi, Fratres, si hic finem imponam, & non progrediar ultra: nam hujusmodi materia indigna est Spiritus Sancti Cathedrâ.

Descendentibus cunctis in ipso noctis crepusculo in Ecclesiam, & sedens Prædicator in medio eorum habet ad eos Vespertinum.

VESPERTINUM I.

Sine intermissione Orate. Paul.

SIne Dei gratia, Fratres charissimi, muneris nostri partes explere non possumus. Gratiam habere sine oratione est quidem impossibile: ait enim Beatissimus Pater Augustinus: (1) *neminem credimus, nisi orantem, gratiam promereri*. Oratio sine actione illusio est. Actio sine oratione turbatio est. Non oratio, & non actio mani-

(1) De Symb. ad Cath.

manifesta perditio est. Ut autem labor noster non sit inanis coram Domino, & oratio nostra non redeat ad nos vacua, necesse est, ut concomitetur cordis custodia. Una sine altera nihil prodest ad effectum: nam ista sine illa diu durare non poterit. Illa sine ista frustrà tempus expendit. Quemadmodum aquila alâ unâ in altum venire non valet, ita nos si orationem sine custodia, vel custodiam sine oratione tantummodo habemus, volare non possumus. Idcirco, Fratres mei, quia de cordis custodia, atque de interiori domo ædificanda nihil curamus, facti sumus anseres humi repentes nauseam patientes erga sublimia, & sapientes sola terrena. Captivi a concupiscentia rerum attonitos habemus oculos abeuntes post delyrantis sæculi fatale theatrum, & respicientes quò respicit Civitas impiorum. Quæ exinde oratio expectanda? Vel nulla, vel inutilis, vel illusoria. Nonnulli sunt, qui longas orationes orant: sed quid prodest, cum sinistra destruat, quod dextera ædificat? Hi imitantur eos, qui aquam hauriunt cum cribro, & infundunt in dolium sine solo. Quamplurimi sunt, qui in animarum suarum tacitum odium erga orationis studium fastidio contabescunt; apud eos orationis exercitium idioma est arabicum! Sed dicentes tantummodó ante celebrationem precunculam, atque psalmum *Laudate Dominum omnes gentes* post Missam aliam habere meditationem non curant, nisi sermonem de lucro, de beneficio, de jocis, de ludis,

de

de venationibus, de novitatibus, atque nocturna, & diurna amantes conventicula vitam vivunt inanem, lubricam, & otiosam utpote qui acceperunt in vano animam suam. Quid agimus, Fratres mei, quid agimus? Nos, qui inter Christum, & homines mediatores sumus, pro nobis, & hominibus incessanter orare debemus, ab oratione spiritum relaxamus? Qua conscientiâ præcipuum Sacerdotalis officii munus omittimus, atque ab oratione avertimus animum in nostrum, & totius mundi detrimentum? (1) *Absit peccatum hoc a me*, ajebat Samuel ad populum, *ut cessem orare pro vobis*. Igitur peccat in populum, Sacerdos, qui orandi omittit officium. Ecce vibrat Dominus gladium suum: arcum suum tendit, & parat illum propter scelera, & scandala populorum. Fremit adversus habitatores terræ ira furoris sui, quia Domino peccaverunt: volensque abundare, ut avertat indignationem suam ab eis queritur per Prophætam dicens: *quæsivi in eis virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam; & non inveni: idcirco effudi indignationem meam*. Ecce in diebus nostris effundit Dominus indignationem suam, dum mittit in filios iniquitatis spiritum erroris, qui pestilentia disseminantes volumina corrumpunt corda simplicium, & interficiunt animas hominum. Nos autem grassantia mala videntes, atque in dies monstruosa dogmata suboriri, tenemus tym-
pa-

(1) Lib. R. I. c. 12. v. 23.

panum, & lyram, & cytharam, & gaudemus ad fonitum organi? Percutit Dominus orbis terrarum Provincias, flagellat Nationes Catholicas, & nos animo diffoluti, corde diffipati, otiofi, & fæculi occupationibus irretiti vitam traducimus, & divinam exorare clementiam, ut juftam avertat iram, criminofé contemnimus? Nimis quidem periculofa temeritas ab oratione vacare eos, qui inftituti natura affiduas tenentur pro toto terrarum orbe preces effundere. O! O! quid, cum ante tremendum Chrifti Tribunal fteterimus, refpondere poffumus, Fratres chariffimi, & diftricta â nobis ratio exigatur de hærefibus, de Ecclefiæ tribulationibus, de fcandalis, de peftilentiis, de fame, de præliis, quibus orbem terræ percuti cernimus, quæ omnia affiduis clamoribus impedire, & a populo avertere debueramus? Pofui vos, dicet Judex in indignatione fæverus, Sacerdotes in populo, ut fungeremini mediationis officio: ut offerentes in confpectu meo fervidas orationes portaretis hominum iniquitates: vos autem vertentes in contemptum orationis negotium inhonoraftis Minifterium veftrum, dum prætereuntes orationis officium dilexiftis mundum ad carnalia transferentes animum. O Fratres mei! quanto terrore, quanta confufione, & formidine concutiendi funt in noviffimo Sacerdotes, qui cum accincti facco, & cilicio inter veftibulum, & Altare plorare debuiffent, receflerunt a loco Sancto, in quo debet orare Sacerdos tran-

fmi-

ſmigrantes cum infamia ad tranſeuntis ſæculi periculoſa commercia, ad mundi relationes, ad negotiationes lucratorias, ad vanitates, & inſanias falſas, quibus miſerabiliter involuti trahuntur præcipitantes animas ſuas? Nunc quidem quia nihil eis accidit triſte, in cœcitate, quam tolerant, quaſi in claritate luminis exultant cum mundo ridentes, hi qui perſiſtere debent in oratione plorantes. Sed citó citó veniet dies amara, in qua præoccupati funeſtæ mortis horâ tremendâ incident in manus Domini negligentes Clerici, & ſuſtinebunt judicium ſine miſericordia, qui fuerunt inutiles in Eccleſia. Numquid intraſti, o Clerice, ut abires poſt mundi ſuperbiam, poſt ſæculi gloriam, poſt viſibilium fallaciam, atque tamquam vacca laſciviens inſumeres tempora in vita jucunda? (1) *Vocavit te Dominus Deus ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*. Nonne bona res? Intraſti ut pro te, & pro populo preces effundas, & puris manibus ad Altare ſacrificium offeras. Sed proh dolor! (2) *qui ſunt iſti*, qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras *ſuas? qui ſunt*, niſi Clerici corde diſſipati, die, ac nocte in incertum vagantes quaſi columba ſeducta non habens cor? Væ miſeris, qui recedentes a domo Dei egrediuntur extra cordis cubiculum,

atque

(1) Iſaiæ c. 22. v. 12.
(2) Idem c. 60. v. 8.

atque tentati ab oculorum concupiscentia tota viscera effundunt per fallax mundi choragium distracti ab officio, proprio raptati desiderio, obsequentes mundo, audaces, (1) *sibi placentes, perficientes sensualia velut irrationabilia pecora, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes, pellicentes animas instabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis* filii derelinquentes rectam viam, & amantes injustitiæ semitam: fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus procella tenebrarum servata est in æternum. Millies fœlix Ecclesia Dei, si inter periculosas tribulationes, quas patitur, ab hujusmodi Clericis libera gloriaretur. Vivunt enim in Ecclesiæ contumeliam, in Sacrorum Mysteriorum injuriam, atque in Christiani populi deplorandam ruinam: quorum oratio, si qua est, eis fit in peccatum, & victimæ in detrimentum.

Vos autem non sic, Fratres mei dilectissimi: accedamus ad cor altum ruminantes Ministerium nostrum. Intelligamus, cujus officii munera suscepimus, & ab orationis studio minime desistamus. Sacerdos quippe, ubi Sacræ unctionis suscepit Sacramentum, suscepit Mediatoris officium. Mediationem ad Principem obire nequit, qui ei in amicitiis familiariter junctus non est. Ut autem quis ei in amicitiis familiariter conjungatur, diuturna consuetudo requiritur; alioquin si amicus non est, quam confidentiam habet, ut oret, & quam spem, ut

(1) S. Petr. 2. c. 2.

ut id quod postulat, impetret? Igitur necessaria est ad amicitiam consuetudo; & amicitia, ut acceptabilis esse possit oratio. Assidua oratio, Fratres mei, requiritur ex officio non tantum pro populo sed etiam pro adipiscenda sanctimonia, quæ exigitur a Ministerio. In loco obscuro haud discerni potest color niger ab albo At si quis facem intromittat accensam, festucam videt etiam minutissimam. Animum evertere ab oratione est in tenebris ambulare: idcirco via non orantium obscura, & nesciunt ubi corruant. Orationi insistere est utique lucernam ardentem in manu tenere. Oratio namque intellectum dat parvulis, mentem illuminat, ut is, qui orat, offendicula videat, ne cadat. Volumus ergo, Fratres charissimi, pravorum hominum imitari conditionem, eorum scilicet qui dilexerunt magis tenebras, quam lucem? Absit a prudentia vestra consumata hæc stultitia. Deficiente oratione languescit animus erga spiritualia: incrassantur passiones erga caduca. E contra per orationis exercitium stillat pinguedo supernorum, & extinguitur amor creaturarum. Stillat illuminatio mentis, inflammatio voluntatis, & affectus devotionis. Per orationem stillat sapientia, & omnia bona pariter cum illa. Unde homo sine oratione, homo phantasma.

Accedamus ergo, Fratres mei, (1) cum humilitate ad Dominum in toto corde clamantes, si forte remittat nobis ve-

(1) Omnes genuflect.

vecordiam, sensuum licentiam, orationis incuriam, mortalemque refugientis animi dignetur amovere desidiam. Peccavimus Domine, injusté egimus Officii institutum despectui tradentes, atque orationis negotium, quod præcipué exigitur a Ministerio, persequi recusantes. Indigni propterea vocari Sacerdotes, neque digni mensæ Cœlestis esse participes. Fascinata mente a nebuloso spiritu indisciplinatæ passionis stantes non fuerunt pedes nostri in atriis tuis, sed potius orationis domo derelictâ erravimus dissoluti tamquam filia vaga, nunc autem redeuntes ad cor ad te deprecantes clamamus, ut tibi in oratione confitentes exaudias, atque Spiritum tuum super nos benignus infundas, neque unquam patiaris, ut alio distracta mente spiritum relaxemus ab oratione: qui vivis & regnas &c.

Mediâ horâ ante refectiunculam descendunt cuncti in Ecclesiam ad flagellationem. Finitis Psalmo Miserere, De Profundis *&* *Oratione* Deus, qui culpa offenderis *&c. Prædicator inter flagellandum hunc contritionis actum dicit.*

IRritavimus iram tuam, Dominé, quia paccavimus nimis in vita nostra. Majestatem tuam offendimus, frontosé deliquimus: idcirco inter vestibulum, & Altare ploramus confitentes in cordis amaritudine iniquitates nostras, *si forte sit spes* (1). Aberravimus a justitiæ semita,

C di-

(1) Jerem. thren.

discessimus a rectitudine, sed ecce ipsi nos reprehendimus, & agimus pœnitentiam in favilla, & cinere. Polluimus Sanctuarium tuum profanantes locum habitationis sanctæ tuæ, & digni non sumus respicere Cœlum præ multitudine iniquitatum nostrarum. Et nunc, Domine, induti pœnitentiæ sacco, jacentes in doloris cilicio, atque humiliantes animas in jejunio faciem tuam requirimus ut misericordiâ motus ignoscas, quæ stulté peccavimus, & dimittas, quæ negligenter egimus. Dimitte, Domine, dimitte secundum miserationum tuarum multitudinem, & ne des selectam hæreditatis tuæ partem in perditionem. Emitte Spiritum tuum de Altissimis, cujus flammâ ardentissimæ charitatis, & potentiâ virtutis serviamus tibi in sanctitate, & justitiâ coram te omnibus diebus nostris, donec depositâ carnis sarcinâ gloriemur in Aula Sancta tua laudem dantes sedenti in Throno per infinita sæcula: Amen.

SEPTIMA DIE

Vocalis Oratio omittitur.

SERMO VI.

Ego vos elegi, ut eatis & fructum afferatis.

IN præsenti sermone, Fratres chariſſimi, quem de Prælati mandato ad vos habere conſtituo, obviam fit admodum copioſa materia: occurrunt multa, quæ ſi aduſque calcem eſſent elucidanda, non ſufficeret diei hora. Aperiam tamen opitulante Domino quæ magis utilia, atque opportuniora eſſe judicaverim, ne nimis longum videar texere ſermonem.

Presbyterum ex ipſa Presbyteratus naturâ ad evangelizandum teneri nemo, qui mediocrem poſſidet intellectum, vocavit in dubium. Etenim ſicut optimé noſtis luce clarius patet ex Scripturis: ubi legimus, quod in rationali Sacerdotis inſcriptum erat (1): *doctrina & veritas*. Hoc totum factum eſt non tantum ad illos, qui Judaicæ legis peritiam profitebantur, ut de lege plebem inſtruerent, quantum ad novæ legis Sacerdotes, qui æternæ veritatis voce ſal terræ nuncupa-

 ti

(1) Exod. c. 28. v. 30.

ti hominum infatuatam naturam doctrinarum ſapore condire ſpecialiter adſtringuntur. Siquidem Presbyteratus non propter Presbyterum ſed propter populum inſtitutus eſt: ut offerat ſcilicet Sacrificia & eos, qui ignorant, & errant, per diſciplinam doctrinæ ſuæ ab errore liberet, & ignorantia. Præterea, ſi nominis natura ſpectanda ſit, Presbyteri dicebantur ſenes in populo, qui quatenus ab antiquis ſcientia repleti, & Patres patriæ non ſolum præbebant civibus matura conſilia, verum etiam ſpectabat ad eos curam gerere de providentia. Unde qui cooptati ſunt Presbyterio, ſecundum ipſam nominis ſignificantiam debent doctrinæ proviſionem ſuppeditare populo. (1) Presbyteri quemadmodum olim Moyſes in adjutorium ſibi ſeptuaginta viros elegit, electi ſunt in Presbyteratum: quia Evangelicæ prædicationis officium ſoli Epiſcopi ſuſtinere non poſſunt. Hinc eſt, quod cum Sacerdotio initiantur (2), in coadiutores Epiſcoporum adinſtar ſenum, qui de conſilio Jetro Sacerdotis Madian Moyſi partes agebant, aſſumi dicuntur. Cum igitur præcipuum Epiſcoporum munus Evangelica prædicatio ſit, ille in Sacerdotii invehitur inſtitutum, qui obire contemnit Evangelicæ prædicationis officium. Etenim ſuper muros Jeruſalem militantis cuſtodes conſtituit nos Dominus, ut non taceremus, die ac nocte declamantes contra vitia, quæ in-

va-

(1) Exod. c. 17. v. 22.
(2) Ut patet ex Pontifical.

valeſcunt in plebe Chriſtiana. Clama, ne ceſſes, ait ad quemque noſtrum Dominus per Prophætam (1), & quaſi tuba exalta vocem tuam: Speculatorem enim te dedi domui Iſrael: audiens ergo ex ore meo ſermonem annunciabis eis. Et quidem valde formidandum eſt, quod ſubditur, Fratres chariſſimi; ſi me dicente ad impium, morte morieris: & locutus non fueris, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua, ſanguinem ejus de manu tua requiram. O! O! quam periculoſos conſcientiæ terrores congerit in futurum, qui ſubtrhait Dei verbum! O quot, & quanta mala timere debet in illa mortis hora tremenda, qui electus in domo Dei viventis, ut præbeat populis documenta ſalutis, & retrahat impios a ſemita iniquitatis, tacitam vitæ ſeriem traducit in medio plebis! Quid fiet de Sacerdote, qui peccante impio ſine conſcientiæ ſcrupulo vacat ſilentio? Ad nos, Fratres dilectiſſimi, ad nos ſermo Domini factus eſt: non ad ſolos Eccleſiæ Prælatos minæ, & terrores, ſed nihilominus ad Presbyteros: ipſe enim Chriſtus Dominus ultra duodecim deſignavit & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos prædicare. Per duodecim accipiuntur Prælati. Per ſeptuaginta duos Presbyteri. Arbitrabamur, Fratres mei, Presbyterale officium nihil aliud eſſe, niſi redditus ab Eccleſia percipere, otio vacare, ventri indulgere, divinum officium elidere per ſinalepham, intra horæ qua-

(1) Ezech. c. 33.

drantem absolvere Missam, & assumptâ veste, & pileo venire in sæculi confusionem: atque insatiabilibus oculis vagari per Civitatem? Erramus, Fratres mei, erramus, atque non sine summo animarum nostrarum periculo, & populi detrimento erramus in negotio: nam Presbyterorum officium rite perspectâ rei conditione est utique orationi, & verbo prædicationis instantes esse: prædicare verbum, instare opportuné, importuné arguere, increpare in omni patientia, & doctrina. Ecce Presbyteratus natura. Unde cum ait Christus Dominus: Ego vos elegi, non dicit: Ego vos elegi, ut sedeatis otiosi: non ut declinetis a loco sanctitatis in domum turpitudinis, vel in viam mundanæ conversationis, sed ut eatis, & fructum afferatis. Ipse ait: *eamus in proximos vicos, ut & ibi prædicem: ad hoc enim veni.* Igitur si ad prædicandum venit, attendat charitas vestra quid dixerit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Jam olim dixerat per Isaiam: *ad evangelizandum pauperibus misit me.* Quemadmodum autem misit me Pater ad evangelizandum, ita mitto vos, ut impleatis prædicationis officium. Hujus rei veritate infallibiliter imbuta, atque Spiritu Sancto edocta Sancta Mater Ecclesia declarat in Concilio (1) Presbyteros adstringi ad populum docendum ea, quæ ad salutem sunt necessaria. Quare Sanctissimus quidam Prælatus (2),

cujus

(1) Conc. Trident. de Reform.
(2) S. Carolus Borrom.

cujus potissimum solicitudine prædicta Synodus absoluta est, cum quis ad Sacerdotio initiandum accedebat, in hunc modum interrogabat: dic mihi, fili mi, quæ te causa movet, vel animum pulsat, ut ad Presbyteratus ordinem suscipiendum accedas? Si respondebat: propriæ salutis causa, statim a manuum impositione abstinebat dicens: vade, fili mi, vade in desertum locum: ingredere Monasterium, & ibi in contemplatione tuum refove spiritum: nam qui Presbyteratum assumunt, non tantum curam gerere debent de salute animarum suarum, sed etiam operam dare; ut salventur animæ ceterorum. Presbyter, Fratres mei, solus non intrat in Cœlum. Intrare non potest januam beatitudinis, nisi simul cum animabus sua prædicatione conversis. Quod si non prædicaverit, vel disciplinæ non fecerit fructus, tamquam servo nequam ei negatur introitus: nam ad Presbyteros dicet Christus: *afferte mihi de piscibus, quos prendidistis*. Qui autem non solum nullum piscem prendidit, sed neque retia laxavit, quid, cum ante Tribunal Christi steterit, respondere poterit? Quæ confusio illius, qui cum Ministerium suum implere debuisset, ad sæculi negotia divertit, nihilque curavit a peccatorum cœno revocandas animas, sed toto conatu studuit coacervare pecunias? Expelletur foras, & erit in maledictione, quemadmodum illi, qui non dederunt Christo Domino manducare, nam cibus ejus est, ut fiat voluntas Patris.

Pa-

Patris voluntas exercere est officium Evangelicæ prædicationis. Idcirco Christus Dominus juxta puteum sedens expectabat mulierem illam Samaritanam, ut converteret eam. Quid est ergo, quod, cum ex ipsa Sacri instituti natura Presbyter doctrinæ panem parvulis frangere teneatur, otiosis, & mutis lapidibus plena est Ecclesia Dei, qui ullo sine scrupulo, ullo sine conscientiæ remorsu vivunt tamquam phantasmata in Sanctuario otiosé locum occupantes tamquam lignum aridum in eremo? Quæ est hæc cordis eorum pax, & tranquillitas, ut cum Evangelium debeant fidelibus aperire, omnes quasi ligna obmutescunt, ac si electi non essent ad erudiendas animas? Nunquid obligatio Parochi, qua ex justitia adstringitur ad informandam plebem, Presbytero tollit obligationem? Absit: nam si tenetur Parochus ex justitia, tenetur Presbyter ex intrinseca pietatis causa. Qua ergo animi securitate, qua conscientiâ auribus populorum subtrahitur verbum ab his, qui in toto rigore tenentur explere prædicationis officium? Estne fabula id, quod nobis intimat Scriptura? Ergo ex duobus unum: vel Scriptura est mendacium (quod quidem dicere blasphemia est, & sacrilegium), vel Presbyteri, qui non prædicant populis documenta salutis, salvari non possunt: etiam si sanctæ vitæ tenuerint institutum: quia non sufficit sanctitas personalis, si desit Presbyteralis. (1) Presbyter namque non pro-

(1) S August. in serm. ad popul.

propter se, sed propter populum Sacerdotio initiatus est. Ne miremini, Fratres charissimi, si mutos Presbyteros salvari non posse jactaverim: non solum enim hominem damnat iniquitas, sed etiam in infernum præcipitat inutilitas. Veritas hæc aperté patet ex Evangelio: ubi legimus; *inutilem servum eijcite in tenebras exteriores*. Quid ergo prodest Presbytero non esse reum iniquitatis, cum sit inutilis? Pari modo iniquus, & inutilis mittuntur in stagnum ignis ardentis. Non sum idoneus, dicet aliquis. Ignorans es? disce. Movendi gratiam non habes? posce. Moralis ignorantia te liberare non poterit a superventura miseria: imo est culpa, qua Dei provocatur ira. Igitur suda, opus fac Evangelistæ, labora, & docebit te multa magistra scientiarum experientia.

Sed heu! heu! Plena est terra Sacerdotibus, qui speciosa proprii cerebri opinione traducti, vel desidiæ torpore, vel negligentiæ vitio potenter affecti malunt sibi acquirere damnationem, quam inconcussam suscipere veritatem. Tamquam flocci habentes sententias Scripturarum libenter sustinent dæmonium, & illud erat mutum. Hinc est quod hodie solemni auctoritate repulsâ gregatim videntur inutiles in Ecclesia accipientes contra justitiæ lancem sine labore mercedem. (1) Omnes facti sunt canes muti non valentes latrare videntes vana. Væ Presbyteris, væ Sacerdotibus, qui debi-

tam

(1) Isai. c. 56. v. 9.

tæ prædicationis non afferunt fructum! væ qui talentum abſcondunt! Ficulnea, quia eſurienti Chriſto poma non dedit, maledicta fuit a Domino, & continuó aruit. Nunquam potuit Eccleſia Dei in periculoſius deſcendere præjudicium, quam cum labia Sacerdotis retinuere ſilentium: nam cum verbo Domini firmatum ſit Regnum Cœlorum, quod eſt Eccleſia, tacente Sacerdotis lingua non ſolum nova non ædificantur, ſed & ſtructa labuntur. Etenim calamitas calamitatum taciturnitas Sacerdotum. Non Neronis freneticus furor, non Diocletiani furibunda rabies ſic contribulavit Eccleſiam Salvatoris, ut ſilentium Cleri verbum retinentis in tempore ſalutis: nam ſilente Evangelicâ tubâ deletur a facie hominum futurorum memoria, & populi indiſciplinati facillimé labuntur in vitia. Si perſtrepente Evangelica tuba adhuc non deſunt ſcandala, quanto magis, ſi prædicatio ceſſaverit in Eccleſia? Idcirco quia muta facta ſunt labia, invaleſcunt in populo prodigioſa delicta. Quia in prædicationis fræno non conſtringuntur maxillæ populorum, diſparet in plebe juſtitia, & charitas, & ſola gyrat indomita conſcientiæ libertas. Videmus, quod muros populi circundet iniquitas, uſura, & dolus, ambitio, ſuperbia, & vanitas; ſed Sacerdotes in foro ſtantes totâ die otioſi revolventes animo negotiationes ſuas. Omnes non lucra quærunt animarum, ſed quæ ſua ſunt, quærunt. Negare non poſſumus, quod multi prædicent,

cent, sed quid prodest, cum non ædificent? Multi prædicant non in animarum capturam, sed ut acquirant famam, & ut habere possint, unde gloriosé vivant: quo factum est, ut Spiritus Sancti Cathedram profanaverint in gratiam sui adulterantes verbum Dei. Prædicatio namque, quam hodie audimus, multiplex est: alia est chymerica: alia profana: alia histrionica: alia pharisaica: alia phylosophica, & alia Evangelica. Chymerica est, qua multi prædicatores utuntur, qui ut eruditorum, & sapientum opinionem acquirant, ideas elevant profunda, & sublimia loquentes, & quasi recondita penetrantes, quæ nec ipsi capiunt, neque audientes intelligunt, quia sermonem non prædicant, sed labyrinthum. Ut autem conceptionum suarum inextricabilem simulent machinam, altisonantium vocum periphrasi sermonis telam exornant. Scopus eorum in eo est, ut rethoricis calamistris demulceant, atque vocum tintinnabulis aures suspendant. Sed, quod quidem valde mirandum, quantó imperceptibilius loquuntur, tanto doctiores, & sapientiores habentur: cum ipsi non intelligant, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant: quia sermo eorum in summa verba ventosa, & nulla substantia. De hujusmodi Prædicatorum sermonibus dicitur per Prophætam: (1) *Majores miserunt minores ad hauriendam aquam, & reportaverunt vasa sua vacua. Non sunt pruna, quibus calefiant; nec focus, ut sedeat*

(1) Jerem. cap. 14. v. 3. Isaiæ cap.

deant ad eum: sed circumloquia importuna, verba pomposa, & inania ratiocinia, in quibus nihil utile, sed cura superflua. Væ Prædicatoribus, qui in patula loquutione faciunt sibi linguam inanem! quia, sicut legimus, (1) *qui ventum seminant, turbinem colligent*. Melius erat illis silentio operam dare, quam futilia verba jactantes audientium aures bullis implere. Profana prædicatio ea est, qua multi utuntur miscentes sacra profanis fundantes rationem sermonis in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis. De Musæo, non deEvangelio telam ordiuntur pluris facientes fabulas poetarum, quam testimonia Sanctorum. Eruditionis famam ambientes de somnis gentilium sua verba componunt, atque, quod scelestius est, ad Comediæ modos sermonem contexere consueverunt adulterantes, & extorquentes simul sensum Scripturarum ad probandas futiles, & extravagantes ideas, (2) *quasi grande sit, & non vitiosissimum dicendi genus depravare sententias, & ad sensum suum Sacram Scripturam trahere repugnantem*. Igitur, qui Scripturam intelligit non in sensu, quo a Spiritu Sancto est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen utpote hæreticus habendus est. Mea non est hæc sententia, sed Hyeronimi Doctoris Maximi. Histrionica prædicatio illa est, qua nonnulli utuntur auditorum animos narratiuncularum lepore ad risum excitantes Spiritus

(1) Oseæ c. 8. v. 7.
(2) S. Hieron. in ep. ad Paulin.

tus Sancti Cathedram in ſcenam convertere non verentes. Verborum ſale, & facetis locum corrumpunt, quem Spiritus Domini conſecravit non ad riſum, ſed ad cordis gemitum, luctum, & planctum. Hujuſmodi Prædicatores juremeritó repelli debent a prædicationis officio, quatenus Sacratiſſimo Verbi Dei Miniſterio gravem inferunt iniuriam profanantes Cathedram, quam conſtituit Dominus, ut peccatores contriſtentur ad pœnitentiam. Phariſaica ea eſt, quam permulti exequuntur docentes ea, quæ ipſi non operantur: quorum doctrina imperfecta dicitur, & fructu vacua: nam vigor prædicationis exemplum eſt prædicantis. Quid prodeſt, ſi Prædicator voeem ſuam exaltet dicens: eleemoſynam facite: cum ipſe ſit ſervus avaritiæ, neque tribuat neceſſitatem patienti? Quid ſi dixerit: carnem veſtram domate jejuniis, cum ipſe ſe gerat adinſtar divitis Epulonis? Quid magis ridiculum, quam Prædicatorem craſſum prædicare jejunium? Etenim pallor, & macies decor eſt prædicantis, & exemplum audientis. Deformis doctrina eſt, ſi quis verba jactet, niſi prius actu compleverit ipſa, quæ docet. Non magnus vocabitur, qui docet, ſed qui fecerit, & docuerit. Docens, & non faciens quid aliud eſt niſi ęs ſonans, aut cymbalum tinniens? Sal infatuatum dicitur in Evangelio, qui profert verba, & non opera in Dei populo. Unde dicitur in Pſalmo: *Si vere utique juſtitiam loquimini, recta judicate, fili*

hominum. Prædicatores ergo; qui corpus suum non castigant, reprobi efficiuntur, cum aliis prædicant. Continget eis id, quod Stellæ Magorum contigit. Stella Magos ad adorandum puerum introduxit, ipsa vero foras remansit. Introducunt multos prædicatione sua in gloriam Aulæ Cœlestis: ipsi vero expellentur foras partem habentes cum hypocritis. De eis fiet id, quod de aqua baptismatis fit: quæ postquam aliorum diluit immunditiam, ipsa mittitur subtus terram. Philosophica prædicatio illa est, quæ neglecto Evangelicæ prædicationis fine; qualis est Sanctorum virtutes exponere, & ad eorum exempla sectanda audientium animos provocare, importunis quæstiunculis in subtilitate ingenii extorto quandoque, vel violente accommodato Scripturarum sensu probare insistit utrum Paulus sit major Petro, vel Petrus sit major Paulo: quo fit ut ob puerilem idearum subtilitatem nonnumquam monstruosas, & hæreticas propositiones eructent. Prædicavit quidam Joannem Baptistam Christo esse majorem: quod in hunc modum probabat: Christus integer Cœli januam intravit, Joannes vero, quia major erat, integer intrare non poterat. Unde necesse fuit, ut ei caput abscinderetur: quia cum capite intrare non poterat præ magnitudine. Prædicavit quidam Antonii Abatis potestatem in ejiciendo dæmonia Christi potestate esse majorem: quod sic probabat: Christus, cum dæmonia ejiciebat, in

in verbo imperabat eis, ut exirent ficut patet ex Matthæo(1). Antonius vero non fic. Neceffe non erat, ut imperaret: fed etiam longé abfente, invocato tantummodo ejus nomine hi, qui habebant dæmonia, liberabantur. Quid magis rifu dignum, imo quid magis blafphemum? Innumera funt abfurda, quæ audivi. Deturpant prædicationis officium hujufmodi Prædicatores, atque ridiculum faciunt Evangelii venerabile Minifterium. Jactantes ab ore incircumfpectas quæftiones indigné afcendunt Cathedram doctrinæ Cœleftis in manifeftam injuriam Evangelicæ veritatis. Prædicatio Evangelica illa eft, quam pauci exercent præcedente optimæ converfationis exemplo, nihil immutato fanctæ vitæ inftituto, ut pauca loquar, nihil docent, nifi quæ prius ipfi non fecerint in doctrina fana, in circumfpecto fermone, ferio, & gravi Sacram exponentes Scripturam fecundum interpretationem Canonicam cum opportunitate fimilitudinum, feu gratia parabolarum captivantes intellectum. Non ficut quidam Miffionarii faciunt, qui ut audientium animos moveant, confectâ aqua nudum brachium intingunt, & igne accendunt, ut exardefcente brachio, & fpirante flammam auditores terrore concutiantur ad pœnitentiam. Alii faciunt, ut unus é porta Ecclefiæ, alter é Sacriftia, alter é cornu Epiftolæ, alter é cornu Evangelii finguli fingulis facibus accenfis infperato impetu fe prodant ad

(1) Cap. 8. v. 16.

mediam usque Ecclesiam: quo fit, ut repentina hac illuminatione, & Missionario clamante voce majori audientes pavore contremiscant. Nonnulla alia faciunt ridicula, & loquuntur impropria a zelo sine scientia. Ad hujusmodi Praedicatores ait Dominus per Prophaetam: *Quid paleis ad triticum? Numquid verba mea non sunt ignis, & quasi malleus conterens petram? Loquimini ad cor Jerusalem.* Non eget Spiritus veritatis artificio hujus comicae repraesentationis. Quiescat ergo Missionarius in loco suo, atque vivâ cum efficacia opportunarum rationum convincat audientis intellectum, haec est enim praedicatio fructuosa, sancta fama, & gravis sententia.

Sed o! Fratres mei, quam pauci inveniuntur, qui fructuosé in vinea laborent! Elegit eos Dominus, ut eant, & fructum afferant. Euntes ibant, sed non flebant mittentes semina sua. Eunt non ut excolant vineam: sed vacuam portantes peram, ut impleant, adulterant Verbum Dei referentes Ministerium, ad utilitatem propriam. Assumunt sub pietatis specie praedicationis officium: ipsi vero intentionis depravantes oculum vertuntur ad ambitionis argumentum. Sunt quidem eximii Praedicatores: sed non omnes Apostolici: praedicant enim, ut si forsitan detur ascendere ad culmina Dignitatum, ad pingue Beneficium: quorum praedicatio partus est ambitionis, filia cupiditatis. Sed quod deterius est, obtento eo, quod irrequieto ambitionis,

pru-

pruritu desideraverant, a prædicatione cessant, quia finis eorum non erat salus animarum, sed turpe lucrum. Unde alios angariant ad vineæ culturam, & ipsi quieti dantes locum mercedem sine labore percipiunt. (1) Quid est, quod Parochi sine conscientiæ scrupulo per notabile tempus ultra a Patribus assignatum Parochiam deserunt, & fratri, quem é Claustro avocant, Parochiæ curam committunt? In quo Canone, in qua Conciliorum sanctione hac legitur uti posse facultate, cum eis non liceat, nisi inevitabili causa, & de Episcopi licentia a Parochia abesse? Tria inferunt mala: primo; quia fratrem a sui instituti observantia retrahunt contra solemne fratris propositum: quod quidem vergit in spirituale ipsius fratris detrimentum: nam sicut pisces si tardaverint in sicco moriuntur, ita fratres, si tardaverint extra cellam, a quietis proposito relaxantur. Secundo: quia initæ conventionis fœdus dissolvunt: nam ex ipsa contractus naturâ, & expressis Sacrorum Canonum, & Conciliorum sanctionibus per seipsos non per Vicarium, seu substitutum, Parochiæ inservire tenentur: ajunt enim in Tridentino Patres nostri; (2) *Non per Vicarium, seu substitutum, sed per seipsos compellantur obire officia*. Unde ad restitionem saltem in foro conscientiæ adstringuuntur. O misera hujus difficilis

 ho-

(1) A Concilio Trid. duo menses: non tamen in Adventu, vel Quadragesima.

(2) Sess. 21. de Ref.

horæ calamitas! Prævaluit in Ecclesia Dei iniqua consuetudo adversus Evangelium, adversus justitiæ constitutum, adversus rationis instinctum, adversus statuta Patrum, ut quis Parochiam, vel specialem aliam curam habeat, totam sibi rem percipiat, & modicâ mercede substitutum conducat, qui pro eo injunctum sibi Ministerium impleat. Quid iniustius, quid iniquius, quid periculosius in Ecclesia Dei? Quid magis rationi dissentaneum, quam qui non laborat, totam laboris mercedem percipere, & is, qui in labore sudat, tenue pro laboris pondere stipendium sibi vindicare? Parochus impinguatus, incrassatus, dilatatus, otio deditus dies transigit in vita jucunda, & pauper substitutus, qui portat pondus diei, & æstus ex tota sui laboris instantia vix sibi ad victum vindicat sufficientia? Monstruosa quidem res. Impletur, quod per figuram dicitur: *boves arabant, & asini pascebantur*. Hujusmodi Parochi *in labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*: sed utique in die illa duriori pœnâ plectentur. Sed, proh dolor! quid facient Parochi, cum hæc eadem faciant Episcopi? Episcopi namque Parochum utpote Episcopali Aulæ idoneum eligunt in Ministrum, ut Secretarium, qui quamquam ad hoc assumptus est Ministerium, adhuc tamen sibi retinet beneficium conducto substituto ad suarum curam animarum. Qua conscientia, & quo jure id fieri possit, penitus ignoro. Illud tamen scio rite per-
spe-

ſpectâ contractus naturâ, quod in toto rigore juſtitiæ teneatur Parochus, vel Epiſcopi dimittere Miniſterium, vel beneficium. Quod ſi Epiſcopus Parochi perſonâ indigeat, de Epiſcopalis Menſæ facultatibus victum præbeat: non vero de iniuſté retento beneficio, cujus cura geritur per ſubſtitutum: quia ſibi retinere beneficium, furtum eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. Tertio: quia oves, ſi mercenario tradantur, non, ſicut oportet, bene paſcuntur. Hæc tria mala parit ſubſtitutio in Eccleſia. Idcirco Eccleſiæ Spiritus ſubſtitutum habere non permittit, ſed tantummodo coadiutorem, cum labor fuerit ultra virtutem.

Prævalet inſuper malum in Eccleſia Dei contra juſtitiæ lancem, contra rationis torrentem. Videmus multos beneficia, quæ vulgo ſimplicia dicuntur, habentes, ex quibus multa ducatorum millia percipiunt, abundantes Eccleſiaſticâ ſubſtantiâ, & nullum omnino gerunt ſervitium in Eccleſia: imo nolunt ad Sacros Ordines promoveri, ſed Clericali tantum tonſurâ contenti vivunt turpiter diſſipantes patrimonium Crucifixi: quo quidem nihil magis juſtitiæ rationi contrarium: nihilque a Sacratiſſimo Eccleſiaſticorum bonorum inſtituto magis alienum. Diſpenſatores ſuos nepotes onerant de Eccleſiæ bonis: ſatiant familiam ſuam muneribus ſacris: beneficium ſine officio conferunt in detrimentum animarum ſuarum. Non enim jus, non fas, non lex ulla eſt, quæ collationem licitam faciat,

ne-

neque bonorum perceptionem juſté retineri poſſe concedat. Diſpenſator autem rerum naturam mutare non poteſt, ſed ordinare. Exigit ergo ipſa Eccleſiaſticorum bonorum natura, ut his conferantur beneficia, qui juge exercent ſervitium in Eccleſia. Alioquin Eccleſia dici non debet Mater juſtitiæ, & rectitudinis, ſed Mater confuſionis. Quis credat, quod Eccleſiæ ſpiritus iſte ſit, conferre Clerico duo, tria, vel quatur millia ducatorum, ut perambulet vagabundus, ut vivat otioſus, vel ut forſitan Eccleſiæ ſubſtantiam diſſipet cum meretricibus? Ego non credam in æternum: nam Eccleſiæ ſpiritus iſte eſt, beneficia conferre injuncto cum labore: ait enim Apoſtolus: *qui non laborat, non manducet*. Dicebat lex: *non alligabis os bovi trituranti*. Conſequens eſt: ergo bovi non trituranti os alligandum eſt: quia juxta tritum illud verbum: *Exceptio firmat regulam in contrarium*.

O pauper, ut ita dicam, Eccleſia Dei! O commiſeranda Mater! Omnes operoſo cordis hiatu non eunt, ſed currunt: currunt, non ut Salvatoris excolant vineam: non ut fructum afferant, ſed ut crudeliter devorent Eccleſiæ medullam. Si Eccleſia dignitates, & temporalia bona non daret, vix reperiretur, qui Clericus fieri vellet. Sed quia dat Cardinalatus, Epiſcopatus, Canonicatus, & hæc omnia copioſis cum redditibus, & prævaluit inſuper peſſima conſuetudo retinendi rem, & honorem, & aliis co-

mit-

mittendi laborem, ebulliunt ſicut mures, qui Tantalica ſiti agonizant, ut ad rei, & honoris culmen aſcendant. Hæc eſt plaga, de qua dicit Iſaias, *plaga, quæ neque eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo, ſed plaga deſperabilis* in Eccleſia Dei. Multi, qui manducent, ſed pauci, qui de labore cogitent. Quid ergo ſibi vult: Ego vos elegi, ut eatis, & fructum afferatis, niſi ut laboretis? Mercede ſua dignus eſt operarius, non otioſus. Præveniunt utique Dei ſententiam hi, qui ſine labore Eccleſiæ volunt poſſidere ſubſtantiam. Dixit namque Deus: *in ſudore vultus tui veſceris pane*. Et alibi ſcriptum eſt: *labores manuum tuarum, quia manducabis. Beatus es, & bene tibi erit*. Igitur, ſi beatus eſt, qui laborat, infelix eſt otio deditus, pane indignus, & homo periculoſus. Pane indignus; quia ſtante Dei ſententiâ, qui ſectatur otium, jus non habet ad alimentum. Homo periculoſus; quia ſecundum Scripturas, *multam malitiam docuit otioſitas*. Heu! heu! miſerrima omnium calamitas in Eccleſia Jeſu-Chriſti hæc eſt edones multi: operarii autem pauci. Latrones, qui Dei Sanctuarium ſpoliant, multi. Miniſtri, qui utiliter Eccleſiæ inſerviunt, pauci. Non quæruntur virtutibus præditi, non litterati, non qui Eccleſiæ prodeſſe poſſint: ſufficit, ut quis ad Eccleſiaſticas Dignitates aſcendat, ut conſanguineus ſit, vel amicus, vel homo pecunioſus, vel primæ nobilitatis, vel potentum favore auctus. Si talis ſit etiam

ſi idio-

ſi idiota fuerit ſufficit. Sub modio latent, qui prodeſſe poſſunt, indigni, & inutiles ponuntur ſuper candelabrum. Oportet potius perpetuis lacrymis operam dare, quam hae de calamitatis anguſtia, quam patitur Mater Eccleſia, ſermonem habere.

O Deus Omnipotens, adorande, colende, tremende, terribilis in Maieſtate faciens prodigia, admirabilis in miſericordia, filiorum hominum mala ſuſtinens in patientia, emitte in potentia virtutis tuæ Spiritum tuum de altiſſimis ſuper viſcera Sacerdotum, ut ablata ex eorum cordibus ſcoria terrenæ cupiditatis reparentur ad ſtudia virtutis, & convaleſcant ad opera Evangelicæ prædicationis. Aufer otioſos, & inutiles ab Eccleſia ſancta tua, neque habitare patiaris rapaces prædones in medio domus tuæ. Mitte operarios in vineam tuam, quorum corda ignorent penitus avaritiam. Aperi, Domine, labia noſtra, & deduc nos per juſtitiæ ſemitas, ut evangelizantibus in Sion lex tua immaculata convertat animas. Ne permittas, o bone Jeſu, ut comprimat ora noſtra dæmonium, & illud erat mutum, ſed ſolve impedimenta labiorum, ut liberé prædicantes verbum tuum demus operam, ut juſti veniant ad uberiorem gratiam, & peccatores ad pœnitentiam; donec omnes conformes facti imaginis tuæ venientes, veniamus cum exultatione, portantes manipulos meſſis ad Thronum tuæ divinæ Majeſtatis, ubi cum Patre, &

Spi-

Spiritu Sancto vivis, & regnas per infinita saecula. Amen.

VESPERTINUM II.

Venit nox, quando nemo potest operari.

O Charissimi! o charissimi! quam amara est mortis memoria! Durissimum jugum super cervices hominum imposuit prima culpa Parentum. Ipsa est rerum ultima linea, ferox, & inexorabile malum; cujus funestum aspectum super omnia mala exhorret ipsa natura. Illam non fecit Deus universorum, sed per invidiam introivit in orbem terrarum. Quam amara sit mors, ignoramus, quia adhuc vivimus. Quis scire potest, quo dolorum torrente crucietur, qui cum morte luctatur? Solus ille, qui moritur: neque, quis, ut nobis referat, superstes relinquitur; quia spiritus vadit, & in hominis viscera non revertitur. Quotidie videmus, quod similes nobis, qui, quemadmodum & nos, habent vitae spiraculum auferuntur de regione vivorum: & sola frigida restant insensibilia cadavera, quae tenebroso inclusa sepulchro revertuntur in terram, de cujus limo susceperant formam. Ibi omnes filii Adam cessant a tumultu. Ibi quiescunt negotia mercatorum, insomnis vigilantia divitum, sollicitudines, industriae, labores, & artes viventium. Ibi gloriosi sedent in pulvere, in terra habitant tenebrosa operta mortis caligine. Ibi saeculi potentes

tes dormiunt: atque donec atteratur Cœlum, non evigilabunt. (1) Lignum spem habet. Si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami ejus pullulant. Si senuerit in terra radix ejus, & in pulvere emortuum fuerit truncum illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est. Homo vero, cum mortuus fuerit, & nudatus, atque consumptus, ubi, quæso, est? Quomdo si recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus arescat: sic homo, cum dormierit, non resurget. Ventus est vita hominis, & vapor ad modicum parens, atque post breve, & laboriosum vitæ spiraculum solum ei superest sepulchrum. Ecce mortui, Fratres mei, in terra oblivionis jacent, quasi non fuissent. Fuerunt quondam, quod sumus nos: atque itidem erimus, quod ipsi sunt. Hodie vivimus, & cras forsitan in sepulchro erimus. Nihil enim certius, quam mortis pœna. Nihil tamen incertius, quam mortis hora. Quid igitur agimus nos, qui vivimus? Quare inæstimabile vitæ tempus sic stulté disperdimus, dies nostros sic temeré dissipamus? Laboramus insania, dum ita contemnimus pretiosa tempora. Ad unumquemque nostrum loquitur Scriptura; *Quodcumque potest operari manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia apud inferos, quó tu properas.* Et alibi: *Ante obitum tuum operare justitiam, quia non est apud inferos invenire ci-*

(1) Job. 14. v. 1.

cibum. Cicada ſtultum animal totam æſtatem cantans traducit, idcirco adventante hyemis frigore perit, quia in æſtate cibum ſibi non congregavit. Formica vero, quia prudens, congregat in æſtate cibum ſibi: Die, ac nocte operoſa non quieſcit portans quandoque onera majora, quam corpora. Idcirco vivit, quia æſtivo tempore ſibi alimenta paravit. Et nos, qui intellectivâ potentiâ præditi ſumus, Cicadam imitantes tenemus tympanum, lyram, & cytharam, & gaudemus ad ſonitum organi in conviviis noſtris in tempore accepto, in die ſalutis? *Qui congregat in meſſe*, ait Scriptura, *filius eſt ſapiens: qui autem ſtertit æſtate filius eſt confuſionis*. O Fratres mei! perpetuo ejulatu digna eſt cæcitas, & faſcinatio noſtra. Quæ in juventute noſtra non congregavimus, quomodo in ſenectute noſtra habebimus? Omne quod in mundo eſt, perit. Sola virtus poſt funera vivit. Quæ autem ſeminaverit homo, hæc & metet. Quæ congregaverit, hæc habebit.

Heu heu! ſicut aquila volans ad mortua corpora tranſeunt tempora, atque momentaneum hoc vitæ ſpatium non niſi ad pœnitentiam nobis indultum eſt. Iſaias enim dicit (1): *vocabit Dominus Deus ad fletum, & ad planctum, ad calvitium, & ad cingulum ſacci: & ecce gaudium, & lætitia, occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum*. Inſaniunt, dilectiſſimi, inſaniunt,

(1) Cap. 2. v.12.

qui sic temeré pœnitentiæ tempus insumunt, & de proximé superventuro angustiæ tempore non reflectunt. Stultus est, qui nescit providere in posterum. Insipiens est, qui ultro captivatur fallaciâ visibilium. Mori inevitabile est: legimus enim *quis est homo, qui vivet, & non videbit mortem?* Igitur in illa mortis hora tremenda, quando accedat medicus, & habitâ pulsatione mortem annuntiet, quando contenebratâ jam jam visivâ potentiâ, turbatâ corporis structurâ, intumescente jam pectore, atque operta facie mortali pallore difficilé respiremus, quando nulla omnino vivendi spes eluceat, sed jam mors ipsa funesto aspectu nos terreat, cui similes, quæso, vixisse desiderabimus? Certo quidem in tam critica angustia Antonii, Macarii, seu Arsenii vitam tenuisse desiderabit anima nostra. O, dicet, qui moritur, quis ab infantia filiorum hominum tabernacula reliquisset, atque in vastissimæ solitudinis latibula penetrasset, ubi in fletu & planctu, in cilicio, & cinere inter dolorem, & amaritudinem nunc spiritum Deo redderet! O quis sancté vixisset! Quare ergo, Fratres mei, nunc, & in hac die nostra, qua salute valemus, tales non sumus, quales tunc, cum funesta mors sua falce nos appetat, fuisse desiderabimus? Argumentum hoc aliam solutionem non habet, nisi vitæ novitatem ad salutem, vel perditionem. Aliud accipite argumentum: Si Rex virum pauperrimum, & infelicem ad se vocaret, &

diceret: accipe claves ærarii mei, ut per horam argentum, & aurum, quantum possis, tollas. Illud tamen scito, quod si elapsâ horâ nihil tecum tuleris, in misera egestate tua morieris. Respondete mihi, Fratres, pauper iste neglectâ fortunâ pergeret in lectum, ut dormiret in illa hora? Non credam, quod homo sic insanus inveniatur, ut oblata occasione implendi domum suam argento, & auro, ærarii claves reponat, & opportunum ditandi tempus somno committat. Quare ergo nos hanc vitæ nostræ mortalis horam contemnimus, & claves, quæ datæ sunt nobis ut ex ærario gratiæ hauriamus opera justitiæ, profundo sopore gravati reponimus. Quare damus somnum oculis nostris, & palpebris nostris dormitationem parvipendentes tempus hoc acceptabile, & stulti negligimus opera pœnitentiæ? Numquid post elapsam horam amissa restaurare poterimus? Minimé: non enim mortui laudabunt Dominum, neque omnes, qui descendunt in infernum. In illa funestæ mortis horrenda nocte nemo potest operari. Sed nos, qui vivimus, Domino benedicere possumus. Vivens, vivens ipse confitebitur Domino, sicut & ego hodie. Venit hora, & jam ante oculos meos est, in qua avolante de carne mea vitali spiritu collocer in obscuris, & ponant viventes lapidem contra me. Ibi cum fuerimus quasi vulnerati dormientes in sepulchris, neque ego jam loqui potero, neque vos jam audi-

re poteritis nisi illam vocem filii hominis, quam audient omnes, qui in monumentis sunt. In somno meo quiescam habitans tenebrosam mortis caliginem: sed rursus post tenebras sperabo lucem.

(2) Quid tunc proderunt omnia quæ in mundo sunt? Transierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tamquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam: cujus, cum præterierit non est vestigium invenire. Excutiamus ergo, Fratres mei, de mentis nostræ oculis densam albuginem: & ne despiciamus in interioris domus hospitio recipere veritatem. Operemur bonum: dum tempus habemus. Videte, quia mors non tardat: & sola justitia liberabit vos a morte secunda.

Post Vespertinum descendunt omnes Sacerdotes ad flagellationem, in qua post Psalmos Miserere *&* De Profundis *opportuna cum oratione clamat Prædicator in hunc modum;*

ET nunc Domine Deus, Auctor salutis, præstabilis super malitia peccatoris, impié egimus in Testamento tuo: recessimus a te abeuntes post pravitatem cordis nostri mali: avertatur ira tua a nobis. Respice, Domine, de Domo sancta tua in nos: inclina aurem tuam, & fac misericordiam. Aperi oculos tuos, & vide quia non mortui, qui sunt in inferno, quorum spiritus acceptus est a visceribus suis, dabunt tibi honorem, &

glo-

gloriam, sed anima, quae tristis est super magnitudine mali, & incedit curva, & infirma, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & justitiam. Converte iram in misericordiam, justitiam in gratiam, furorem in clementiam. Vide humilitatem nostram, & laborem nostrum, & dimitte omnia delicta nostra. Eja, Domine, parce nobis, & populo, & ne despicias enixé deprecantes pro universo mundo. Ne recedant sine exauditionis solamine preces humilitatis nostrae. Attende de altissimo habitaculo tuo, quia tu Pater noster es, fictor noster, & opus manuum tuarum omnes nos. Miserere nobis, Domine, misere in abundantia, & multitudine miserationum tuarum, ut cum Sanctis tuis benedicat tibi anima nostra per infinita saecula saeculorum. Amen.

OCTAVA DIE

Hodie a mane usque ad vesperum fit expositio Venerabilis Sacramenti: quamobcausam, & quia cantatur ejus Missa solemnis, utraque vocalis Oratio omittitur.

SERMO VII.

Ignem veni mittere in terram; & quid volo, nisi ut accendatur?
Lucæ c. 12. v. 49.



Rex gloriæ, mors mortis, vita viventis, innovator naturæ, auctor reparationis antiquæ, extinctor diabolicæ servitutis, instaurator amissæ libertatis, Triumphator averni, Princeps Principum, Rex Regum, & Dominus dominantium, aperi tu manum tuam, & da misero peccatori puram conscientiam, & linguam eruditam. Solve labii titubantis vinculum, & fiat sicut ros eloquium meum: nam quoties de tui amoris incendio sermonem texere cogito, loquelam amitto. Nescio loqui. Vellem potius, quam verba facere, in altissimæ contemplationis occeanum venire, atque ibi divini amoris flammam intuens acie cordis puri in

tui

tui amoris verticibus abſorberi. Igitur, dum illam nimiam charitatem, qua nos diligere dignatus es, mente pertracto, ſtupefactus tantâ miſericordia, atque inenarrabili affectus lætitiâ vellem per omnia mundi Regna laudis promere cantica, atque univerſis dicere creaturis: Magnus Dominus, & laudabilis nimis. Quæ te compulit cauſa, quæ te vicit miſericordia, ut pro homine, qui putredo, & vermis eſt, faceres inenarrabilia? Nonne eſt, de quo quondam tactus dolore cordis intrinſecus, dixeras: *pænitet me feciſſe hominem*, & rurſus: *non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt*? Unde ergo hoc nobis, ut Candor æternæ lucis, filius Patris, figura ſubſtantiæ ejus, & imago Bonitatis illius veniat ad nos: viſitet nos, cibet nos, & nobiſcum ſit cunctis diebus uſque ad conſummationem ſæculi? Peccavit Angelus, & Angelo veniam non dediſti. Peccavit miſer homo, & teipſum in ſuæ prævaricationis remedium paraſti. Ubi Lucifer tumentis animi arrogantiâ elatus deſipuit, in ima inferorum tartara ſicut fulgur extempló de Cœlo cecidit. Poſtquam autem peccavit homo, non venis ad eum mane conſurgens, ut ſuper eum effundas indignationem, ſed deambulans ad auram poſt meridiem miſericorditer vocas delinquentem. Quare ergo, cum excellentioris naturæ ſit Angelus, non obtinuit veniam, & homo, cum inferioris naturæ ſit, invenit gratiam? Puero tuo ſinceré interroganti ignoſce, Domine. Judicia tua abyſ-

abyſſus multa. Miſereberis, cui volueris, & eris clemens, in quem tibi placuerit. Sed dicere liceat, Deus abſcondite, Angelus viam non invenit ad ſalutem, quia non niſi ſeipſum habuit tentatorem. Mulier vero ſerpentem, & homo mulierem, quæ, dum præcepti vinculum rupit, magis mobilitate animi, quam pravitate peccavit. Idcirco invenit homo miſericordiam, quia fragilitate deliquit captus ob gulam. Tamen non eſt inventa ab Angelo remiſſionis gratia, quia ab eo, & in eo incepta eſt, & conſummata malitia. Superbia intellectus immedicabile malum. Superbia voluntatis poteſt habere remedium. Potius autem dicendum eſt, quod cauſa noſtræ reparationis largitas fuit gratuita tuæ divinæ bonitatis, quæ non dum homo patraverat, culpam, cum jam jam abunde paraverat medicinam. Exultet orbis terrarum in laude tua, Domine. Eructent ex corde Pſalmum ora filiorum hominum. Benedicat tibi anima mea, & cantet miſericordias tuas in æternum, quoniam complacuiſti in homine, & inclinaſti Cœlos, & deſcendiſti, ut ſervilem induens noſtræ mortalitatis amictum Cruci affigeres Decreti Chyrographum, quo humana captivitas tenebatur ad æternæ ſervitutis infame jugum. Deitatis Majeſtate ſub velamine carnis abſcondita appares mundo in ſimilitudinem carnis peccati, & habitu inventus ut homo ſpolians Principatus, & palam triumphans illos in temetipſo: atque in ferrata clauſtra penetrans jam morte deluſa in brachio

chio potentiæ tuæ, & in robore mirandæ virtutis eripuisti prædam ab ore leonis. Quid vidisti in homine, ut pro homine, cujus conditio misera, in malum prona ab adolescentia sua, indueres fortitudinem, & faceres tot stupenda magnalia? Quis es tu, Domine, ut ita temetipsum exinanires factus pro nobis maledictum in Cruce pendens? Tu es, qui es. Tetragrammaton Sanctum, & terribile nomen tuum. Una essentia, simplicissima substantia: qui verbo virtutis tuæ portas omnia. Tu es omnium rerum esse causale. Bonus sine qualitate, Magnus sine quantitate. Deus sine conditione: immensus sine latitudine, gravis sine pondere: levis sine motu: celer sine cursu: antiquus dierum sine tempore, æternus sine successione: qui, cum sis immutabilis, mutas omnia: in judiciis terribilis: in consiliis admirabilis. Quid plura? Nescio, Domine, quia omnino incomprehensibilis tu es. Attamen quid est homo, quoniam reputas eum? Homo natus de muliere: brevi vivens tempore: repletus multis miseriis, cujus cor pravum, & inscrutabile: filius iræ, portans sarcinam corruptæ naturæ. Igitur obstupescite, Cœli, & vos Angeli admiramini vehementer: nam, cum nihil magis contrarium, quam Deus, & homo, hæc duo adinvicem sibi contraria conjunxit amor extrema, dum utraque natura inseparabiliter copulata est in individua persona divina, non humana. (1) Eucharistiæ

Sa-

(1) In Opusculo 57.

Sacramentum, ait Thomas, miraculorum esse ab ipso factorum maximum. Sed hanc Doctoris Thomæ sententiam perperam nonnulli intelligunt. Est ergo sensus: inter omnia miracula, quæ Christus fecit in carne, miraculum maximum Eucharistiæ Sacramentum est. Nam Deum hominem fieri longé majus est absque dubio Eucharistiæ Sacramento. Ut transsubstantiationem faceret, nihil sibi contrarium invenit. Ut autem fieret homo, humanam invenit naturam ex adverso oppositam: nam divina natura essentialiter bona: humani autem generis massa corrupta, a diabolo infecta. Humanam ergo naturam Divinæ sociari quid mirabilius? Neque Deus a constitutione mundi simile fecit, neque par miraculum facere potest, quia Sacrosanctæ Incarnationis Mysterium par non habet in ordine miraculorum. Verbi Incarnatione factâ consequentia erant reliqua Sacramenta. Horum causa Incarnatio fuit. Etenim mirabilior est causa, quam effectus. Mirabilius est per Incarnati Verbi Mysterium humanam innovare naturam, quam panis, & vini mutare substantiam. Omnium divinorum operum perfectio Verbi Incarnatio est: & omnia Dei mirabilia, quæ tam in veteri, quam in novo Testamento leguntur, in ineffabili Incarnationis Mysterio fundantur. In hoc stupendo divinæ potentiæ prodigio rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ misericordiarum Dei, & cataractæ miserationum ejus apertæ sunt, & factus est, ut di-

ci-

citur per Isaiam; quasi cataclismus inebrians terram.

O immensæ charitatis mare magnum! O admirabile divini amoris incendium! Nunquid in verbo reparare non poteras mundi mala tu, qui solo sermone restauras universa? Quare tu, qui lucem inhabitas inaccessibilem de summo Cœlorum in inferiores partes terræ descendis, nasceris in præsepio in medio duorum animalium, & in infami Crucis patibulo emittis spiritum in medio duorum latronum? Quare tu, cum sis essentialiter bonus, tamquam dæmoniacum, hæreticum, publicæ pacis subversorem, & blasphemum haberi non recusas? Quia tu es, Domine, qui amas animas: atque hoc fecit immensa magnitudo tuæ dilectionis, ut esses spectaculum mundo, opprobrium, & abjectio plebis. Copiosus abundé non erat excessus iste, quia cogitasti pro tuorum solatio manere nobiscum in Eucharistiæ Sacramento? O sapientia, o bonitas, o charitas, o misesericordia! Quid fecisti, Domine? Si cessante passione in carne cessant opprobria, exultaret in gaudio anima mea. Sed & si ascendisti in Cœlum, manente nobiscum adhuc non cessarunt improperia sacrilega peccatorum. Sapientia es attingens a fine usque ad finem: neque apud te sunt præterita, neque futura. Numquid ergo non videbas, cum nobis cœlestis vitæ nutrimenta parabas, homo ille natione Alexandrinus consecratam hostiam pugione transfixit, in lutum demersit, &

per-

porcis conculcandam tradidit? (1) O Dei patientia erga filios Adam! Illudentes dicebant pueri Elisæo: *ascende, calve, ascende, calve*. Et ecce egressi sunt duo ursi de saltu, & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros. Non sustines opprobria servorum tuorum, & hoc patienter toleras sacrilegium? (2) Numquid non videbas, cum hunc nobis panem de Cœlo præstabas quod Julianus Juliani Apostatæ patruus in Christianorum Templum ingressus Vas Sacrum cum consecratis particulis de Sacrario eduxit, atque super illud ventrem exoneravit? Sed tam sacrilega audacia non diu mansit inulta: nam subito vermibus scatente illa parte, per quam stercora egeruntur, rabie frendens præ dolore, atque miserabili exemplo erudiens posteros migravit ad inferos. (3) Nunquid non videbas, quod in Hispania hoc in sæculo gestum est? Hæretici namque apud Villam Vitiosam prope Matritum castra pararunt, qui irruentes in Ecclesias consecratas particulas extraxerunt de Sacrario, atque dederunt eas in escam equis suis in præsepio. Horrendum facinus! Nefas sacrilegium. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum in escam equorum? Quis sine horrore, quis sine vultus concidentia audire poterit tam impia scandala? Numquid non sciebas, quod accepetu-

(1) Lib. 4. Reg. cap. 2.
(2) Cardinal. Ursius in hist. Eccles.
(3) Bellante Filippo V. contra Carolum VI.

ſtura erant Te multorum Sacerdotum ora fœtentia, pectora ſordida, immunda viſcera corda eorum, qui ex patre diabolo ſunt? Hæc omnia præſentia habuiſti, cum in nocte Cœnæ menſam in conſpectu noſtro paraſti. Sed omnia vicit amor. Neque ſacrilegæ irreverentiæ, dedecus, & opprobria impedire valuere hujus Venerabilis Sacramenti inſtitutionem; neque aquæ multæ potuerunt extinguere charitatem. Omnia pro nihilo habuiſti, ut de tuæ voluptatis torrente potares hominem, quem de limo formaſti. Miſcuiſti vinum, & propoſuiſti ei menſam continentem ſolatia præſentis vitæ, & delicias æternæ gloriæ. Infræna, Domine, os meum laude tua, & non tacebo die, ac nocte amoris tui mirabilia. Loquelam elargire muto, & omnibus diebus vitæ meæ vociferationis hoſtiam immolabo. Quis ad conſpectum tantæ charitatis ignem non ſentit in fundo cordis? Quis non accenditur? Quis non inflammatur?

Sed heu heu! Fratres dilectiſſimi. Eſt dolor continuus cordi meo, & a ploratu non quieſcit pupilla oculi mei, dum video ad igneam menſam nos quotidie accedentes, & quodam glaciali frigore titillantes. Quotidie celebramus, & exardeſcentis ignis ardorem non ſentimus: imo quodam inſenſibilitatis erga ſpiritualia gelu conſtricti jacemus ſine ardore pietatis, ſine calore devotionis, ſine affectu virtutis accedentes ad Dei menſam tamquam Ephraim vitula docta

diligere trituram. Arbitrabatur Isaias, (1) quod, cum descenderet Dominus, etiam aquæ arderent igni, cum dicit: *Utinam disrumperes Cœlos, & descenderes. Montes a facie tua diffluerent: aquæ arderent igni*. Sed quid nunc temporis Prophæta pronunciaret, si de sarcophago prodiret, & tot stagna aquarum rigentia videret, sine motu, sine decursu, sine profectu? Lugeret utique videns tot Sacerdotum corda conversa in putrefacta ligna inutilia propter putredinem, atque propter ariditatem minantia casum ad aquilonem. Detrimentum revera sanguineis lacrymis deplorandum, Fratres charissimi. Quotidie celebrare, & devotionis affectum non sentire, mortis argumentum est. Cornuta apparebat facies Moysis ex solo consortio sermonis Dei. Et nos, qui non solum cum Domino confabulamur, sed & carnem, & sanguinem ejus intra viscera nostra recondimus, non solum vitæ splendorem non emittimus, verum omnem escam abominati facies peccatorum sumimus. Non resplendet facies nostra, dum debitæ sanctitatis populo non præbemus exempla. *Nonne ardens erat cor nostrum*, ajebant discipuli, *dum loqueretur nobis in via?* Quid ergo est, Fratres mei, quod nos, qui Agni immaculati carnem quotidie manducamus, ardorem in corde minimé sentimus? atque non aliter ab Altari discedimus, ac si materialis panis frustrillum accepissemus? In causa est, quia quemad-

mo-

(1) Cap. 64.

modum filii divitum sapidissima paternæ mensæ obsonia fastidientes deveniunt in stultitiam comedendi terram, terram comedimus, dum propriæ voluntati turpiter inservimus, atque indomitis nostris passionibus obsequia præstamus. Idcirco, quia terrenos affectus non expellimus ab animo, facti sumus tamquam lignum aridum in eremo non accipientes pluviam de Cœlis, hoc est rorem devotionis ad opera virtutis: imo prostrati, enervati, paralytici, gravissimoque torpore oppressi languemus præ inopia ambientes caduca, & non gustantes æterna: atque post tot annorum curricula, quibus quotidie celebramus, tepidiores nos invenimus, quam illo die, quo primam Missam celebravimus. Retinemus adhuc apud nos farinam de Ægypto. Quare non mirum, si nobis non pluit Manna de Cœlo. Quomodo ignis iste divinus volumus, ut accendatur in corde adhuc animo obicem tollere recusante? Naturales referunt, quod lupus, cum sibi opportunam escam non invenit, quidquid sordidum comedit. Quod si agnum, vel hædum inveniat, tunc sordes illas, quas ante manducaverat, evomit: atque rejecto sordido, quod non nutrit, sed potius nocet, nutritivæ carnis portione ventrem implet. Oportet ergo, Fratres mei, adinstar lupi, ab interiori cordis stomacho passionum sordes evomere, atque ita Agni immaculati carnem manducare. Affectionum namque expurgationem si negligenter omit-

timus, secundum Sacramenti effectum sentire non possumus. Ecce, Fratres charissimi, ecce mater tot languentium negligentia in emundatione passionum præsertim habitualium. Unde tot claudorum, & aridorum multitudo, qui ad hanc mensam ventitare consuescunt, & nullam ignis vim in corde percipiunt? Ex incuria expellendi ab animo domesticas affectiones, quæ in Scriptura parvæ vulpes vocantur, quæque secundum Sacros interpretes venialia peccata intelliguntur. Ait Scriptura: (1) *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Demoliri idem est ac devastari, destruere, sive perdere. Quare ergo per vulpes parvulas venialia peccata intelliguntur, si peccata hæc vineam, quæ figuraliter anima dicitur, non devastantur? Venialia justificantem gratiam non auferunt, sed charitatis fervorem tantummodó remittunt. Veniale peccatum entitativé sumptum non condemnat: sed illud ignis temporalis purgat. Attamen terribile, ac tremendum dicere audeo, Fratres dilectissimi, atque utinam omnes Christiani caperent, & intelligerent vocem sermonis mei. Peccata hæc habitualia non corrigere est causa damnationis æternæ. Ut homo in infernum descendat, non solum requiritur, ut furetur, ut luxurietur, ut occidat, &c. sufficit, si venialia corrigere negligat. Et quæ sunt venialia peccata? Omnes sensitivæ delectationes, audire musicam, olfacere florem volupta-

(1) Cant. cap. 2. v. 15.

ptatis causa, interrogatio otiosa, inutilis cogitatio, exaltatio vocis in risu, & quidquid agimus, cogitamus, vel loquimur, vel concupiscimus, quod neque conveniens, neque utile, neque necessarium. Ecce peccata venialia. Quod si venialia hæc habitualia fiant, & consuetudinem contrahendi ea exterminare contemnimus, sive eradicare negligimus, in negligentia, & contemptu mortale peccatum contrahimus. Illa negligentia, seu contemptus mortale peccatum est. Dicit quidam Doctor Ecclesiæ, splendor Galliæ: (1) *Nemo dicat levia sunt ista: ideo non curo corrigere. Quid, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis? Fratres, hæc est impœnitentia: & impœnitentia peccatum irremissibile: blasphemia in Spiritum Sanctum.* Catholica doctrina est, Fratres mei, sola criminalia peccata habere in se æternæ damnationis reatum. Venialia criminalia non sunt: attamen *criminalia fiunt*, ait idem Doctor, (2) *cum per contemptum, & usum vertuntur in consuetudinem*, & tunc negligentis animam demergunt in perditionem. Dicet aliquis: nescio, cum corruo. Si enim animadverterem, non committerem. Esto. Sed est etiam inadvertentia, quæ non caret culpâ. Qui sine lucerna pedibus suis intempestâ nocte, & per petrosa graditur, non mirum, si non videat, ubi pes offendat. Omnes Christiani mediam tenentur adhibere diligentiam ad

 cor-

(1) S. Bernard. in serm. de convers. S. Pauli.
(2) De præcepto, & dispensat.

cordis custodiam, ne labantur in culpam. Quod si quis mediam hanc diligentiam non adhibeat, & si lapsum ignoret, tamen, cum labitur, peccati reus constituitur, quia, & si nescienter egit, non adhibitâ debitâ diligentia, ut animam immunem servet a culpa, peccat in causa. Peccatum non sola formalis malitia efficit. Ad peccati consummationem interpretativa sufficit. Quis est, qui Deum formali prosequatur odio? Nemo. Quare ergo tam multi sunt, qui damnantur? Quia interpretativo odio Deum prosequuntur. Multi lapsus in levia ignorant, quia debitam, sicut oportet, vigilantiam non servant: atque insensibiles facti impedire contemnunt fluxum consuetudinis, donec insensibili modo appropinquent usque ad portas mortis. Quis ergo super venialia non vigilet, Fratres mei? Quis quæ sint venialia non examinet? Non cogito animi anxietatibus Clerum implere, sed saluberrimam doctrinam in angulis negligentiæ repositam palam facere. Valde quidem tremendum, Fratres dilectissimi: venialia, quæ sæculares contrahunt, venialia sunt. Sed ex effectu, & circumstantiis in Sacerdotibus mortalia fiunt. Lepidum verbum in re venerea simpliciter ob jocum prolatum secluso scandalo, & consensus periculo, in ore sæcularium leve peccatum est. Attamen in ore Sacerdotis ex circumstantiis sacrilegium est. Quare Tridentina Synodus de reformatione agens monet Clericos his verbis: *levia enim de-*

li-

licta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant. Idem docent Sancti Ecclesiæ Doctores, præsertim Ambrosius: ait enim. *Verbum Sacerdotis aut est verum, aut sacrilegum.* Etiam nugæ per jocum ab Ecclesiastica abhorrent regula. Tritum est illud Bernardi: *Nugæ in sæcularibus nugæ sunt: blasphemiæ in Sacerdotibus.*

Non alia causa est, Fratres charissimi, cur tam multi Sacerdotes hodie prostrati jaceant, corde dejecti, devotionis succo prorsus destituti, arentia viscera habentes, facti quasi Statuæ sine spiritu in Sanctuario, patientes nauseam super cibo isto de Cœlo præstito, quorum vita, quia tepida, eum, qui est principium creaturæ Dei, ad vomitum provocat: non alia, inquam, causa est, nisi incuria in cordis custodia, & negligenter se gerere circa venialia. Unde provenit, ut fastidio contabescentes erga cœlestia toto corde rapiantur erga sensibilia: sicque corde dissipati, & animo dissoluti etiam Sacrum facere graviter accipiunt: quod quidem forsan non facerent, nisi propter stipendium. Hinc accidit, ut multorum Missam sine lacrymis, atque sine vivo dolore christiana pietas non possit audire. Debitâ namque sine præparatione ad peragendum tantum, & terribile Sacrificium: imo potius calefacientes se ad prunas in Sacristia coronam faciunt tractantes sæcularia, loquentes quandoque inhonesta, aperientes proximorum occulta vitia, confabulantes de novellis, vulgo *Gazzetta*, clamorosé contendentes

in

in jurgio, & nonnumquam rixantes cum ſcandalo. Peſſima hac habitâ præparatione Paramenta accipiunt proſequentes colloquium, ac ſi res, quam facere aggrediuntur, parvi eſſet momenti, & non tremendum Miſſæ Sacrificium. Egrediuntur de Sacriſtia incompoſito vultu, immodeſto inceſſu, feſtino pede, atque animo irreverenti, & infrunito accedunt ad Altare. Ibi (O quis mihi tribuat non aquæ, ſed ſanguinis lacrymas, ut multorum Sacerdotum defleam irreverentias, quas patienter ſuſtinet Filius Dei!) ibi incompoſitis motibus, ridiculis geſtibus, incircumſpectâ corporis revolutione, per gyrum vagantibus oculis, a velociſſima pronuntiatione elidunt Miſſam per ſynalepham, donec infra quadrantem horæ perſolvant. Signa, quæ ſuper oblata faciunt, a rapida manus feſtinatione non ſunt ſigna Chriſti, ſed ſigna diaboli. Noſtræ Religionis Centrum, quod eſt Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium irreverenter accelerant, ceremonias non curant: quorum irreverentes actiones provocant indevotos ad riſum, pios ad fletum, & parvulis præbent ſcandalum, dum hi vident noſtræ Religionis Centrum in contemptum ire, atque Miſſarum ſolemnia debitâ ſine reverentiâ tractari. Abſoluta brevi temporis intervallo Sacroſanctâ Miſsâ, depoſitiſque ſacris veſtibus accipiunt habitum ſuum: cumque quieſcere debeant ſaltem per dimidiam horam mente revolventes tanti hoſpitis dignationem, & gratiam, adhuc lumina-

naria, quæ accensa fuerant ad Missam; extincta fumigant, cum jam jam festino pede rapiuntur extra Ecclesiam. Maledictus, qui facit opus Dei negligenter, & qui diligenter non attendit ad ea, quæ in mensa Principis apposita sunt ei. Mortali contabescentes fastidio erga spiritualia, irrequieto cordis affectu feruntur erga terrena, promptiores ad confabulandum cum amico, vel sermocinandum de sæculari negotio, quam ad ruminandum intus in corde de Sacramento. Omnem escam abominati in cordis stomacho salutarem cibum non retinent, dum relinquentes cœlestem conversationem convertuntur ad sæculi consuetudinem. Si cibum stomacho non retineat, qui infirmatur, vita ejus profecto desperatur. Presbyter ergo, qui post Missam acta non ruminat, ægrotat: & medicina, quam de Altari sumpserat, non solum non proficit, sed ægritudinem aggravat. In magno periculo est, Fratres mei, Sacerdos, qui peractâ Missâ statim recedit ab Ecclesia. Nescio, quomodo faciem nostram verecundia non operit, quod de quodam gentili legitur in historia. Is, cum Dei sui simulachrum numquam vidisset, nativitatis suæ terram relinquens Metropolim adire constituit. Cumque idoli sui Templum ingressus vidisset, & adorasset, plenus stupore, & extasi de Templo revertebatur. Stans autem super Templi limen ipse sibi oculos eruit dicens: *oculi, qui Deum suum semel videre meruerunt, justum non*

est,

est, ut de caetero videant, quae in mundo sunt. O vere magna confusio Sacerdotum! Si talia fecit homo gentilis, quia vidit diabolum; quid nos agere debemus, qui consecramus, tractamus, & manducamus Dominum? Ethnicus iste eruit sibi oculos, & projecit a se; & oculi Sacerdotis in Sanctuario Dei Viventis lascivientes per plateas civitatis?

Redeamus ad cor, Fratres dilectissimi, redeamus ad cor: ne tentemus Dominum sicut illi, quorum anima nauseans super Manna in solitudine illicita appetivere, & exterminati sunt ab Exterminatore. Consideremus, cujus mensae participes effecti sumus. Ignis est panis iste, non comburens, sed illuminans. Quod si nunc frigida, vel tepefacta est anima nostra, accedamus ad eum in cordis simplicitate, & perseverantes in oratione, in qua si instantes fuerimus, profectó veniet inopinata dies, qua illuminabimur, & facies nostrae non confundentur. In principio labor est in exercitio orationis, & magna gravitas ob sterilitatem animae nostrae a conditione corporis animam aggravantis. Sed superatâ per modicum temporis repugnantiâ, nihil oratione jucundius, nihil suavius, nihil desiderabilius, nihilque, quod magis delectet animum, quam esse cum eo, qui dicit: *deliciae meae esse cum filiis hominum*.

O Tu, qui sub accidentium velamine abscondis Majestatem tuam: qui superexaltans misericordiam erga filios homi-

mi-

minum complacuisti manere nobiscum in singulare solatium, mitte de excelso ignem in ossibus nostris, qui cordis nostri aquosos humores absumat. Fiant spirante te tui flammas amoris ignea viscera, exardescentia pectora, & corda flammantia, ut interior domus nostra digna sit habitatio tua, in qua cum Patre, & Spiritu Sancto mansionem facias apud nos sedans efferatos carnis tumultus, & cibans animam pane vitæ, & intellectus. Da nobis, Domine, ad gustandum quam magna sit multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te, ut omnium corruptibilium prorsus obliti canamus canticum in terra Sanctorum: Deus cordis nostri, & pars nostra Deus in æternum. Nunc, Domine, quia repleta est malis anima nostra, nauseam patitur, tepore affecti sumus, fastidio contabescimus nihil sentientes, nihil gustantes: sed introduc nos in cellam vinariam, sitientem terram inebria, & aridam quasi fluvius inunda, ut benedicat tibi anima nostra nunc, & per infinita sæcula. Amen.

OCTA-

OCTAVA DIE

Hodie dicitur Officium Defunctorum, & cantatur Missa pro omnibus Sacerdotibus defunctis: quam ob causam utraque vocalis Oratio omittitur.

SERMO VIII.

Verba, quæ ego locutus sum vobis, spiritus, & vita sunt. Joann. cap. 6. v. 63.



Nguftia temporis ob proceffionem, quæ poft concionem habitam folemniter facienda eft, non nifi pauca loqui permittit, Fratres mei. Libenter fermonem protenderem: adhuc enim habeo multa vobis dicere. Sed quia proceffio, quæ fubfequitur, longum ad vos fermonem habere non patitur, dicere fufficiat: vos fcitis a prima die, qua hoc fanctum Exercitiorum Novenarium incœpi, quomodo nihil fubtraxerim utilium, quominus nudam vobis oftenderem veritatem ad ftabiliendam in animo novæ vitæ converfationem. Cum adhuc tenebræ effent, furgebam de lectulo, & excitabam vos cum jaculatoriis ad vigilandum diluculo. Laboravi nihilominus quantum potui, ut dies pleni invenirentur in vobis: quod quidem eo

fuo-

successu adspirante Domino continuatum est, ut per novem dies Angelicam in terris vitam, sicut vos ipsi testati estis, vixisse non dubium sit. Adhuc exit sermo inter vos: nolumus hinc exire: quia bonum est nos hic esse. Quantum ad me attinet, libentissimé, Fratres mei, vobiscum simul hoc in Sanctuario commorarer, sed necesse est, ut per statutum tempus revertar in solitudinem, ubi ab omni conturbatione semotus audiam quid loquatur in me Dominus Deus: Abundé sufficiunt, quæ hactenus dicta sunt. Verba, quæ ego locutus sum vobis, illius verba sunt, qui in veritate misit me ad vos. Videte, Fratres, ne forté semen ceciderit secus viam, neque illorum miseram imitemini conditionem, qui post lacrymarum tempus redeunt ad iniquitatem. Non modico timore agitur anima mea, ne, cum iterum repetitis mundum, ipse mundus, quatenus in maligno positus, de cordibus vestris auferat verbum. In mundo namque habetis pauca nomina eorum, qui vestimenta sua non inquinaverunt. Quapropter constantes estote memoria retinentes, quoniam per Novenarium non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum, quomodo oporteat ambulare sine offendiculo, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo. (1) *Testes invoco hodie Cælum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, bonum, & malum, benedictionem & maledictionem*, ignem, & aquam: ad, quod

G

(1) Deut. c. 30. v. 13.

quod volueritis, porrigite manum. Nullum anima mea patitur conſcientiæ remorſum de eo, quod non oſtenderim vobis ſpiritum, & vitam, & non propoſuerim regulam ad viam perfectionis ineundam. Etenim die ac nocte laboravi, ut juxta Sacrorum ſtatuta Canonum, Conciliorum, & Patrum acciperetis ab ore meo regulamentum ad debitæ converſationis inſtitutum, ſicut decet Sanctos. Teſtis eſt Deus, & teſtes vos. Igitur ſi (quod abſit) verba, quæ locutus ſum vobis in nomine Domini, in ventum prolata ſunt, convertam faciem meam ad Dominum, non ut accuſem vos (vellem potius ſtare in conſpectu ſuo, ut loquerer pro vobis bona, & averterem indignationem ſuam a vobis); ſed ut dicam in amaritudine animæ meæ: (1) *In vacuum laboravi; ſine cauſa, & vane fortitudinem meam conſumpſi.* Medicina eſt Dei verbum, quæ curat, & ſanat animas a vulneribus peccatorum. (2) *Quare ergo non eſt obducta cicatrix filiæ populi mei: ſed plaga ejus facta eſt deſperabilis, & renuit curari?* Quare, cum vivus, & efficax ſit ſermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, viſcerum medullas non penetravit, ut relicta carnis cura, & ſæculi conſuetudine vivant Sacerdotes in novitate vitæ? Abſit, Fratres mei, abſit, ut ad vos tremenda illa ſententia referatur: (3) *Propterea vos non auditis, quia ex Deo*

non

(1) Iſaiæ cap.
(2) Jerem.
(3) Joan. cap. 8. v. 47.

non estis. Omnes adstabimus ante Tribunal Christi, Fratres mei, & quidem non post multos hos dies, quia novissima non tardat hora, & adesse festinant tempora. Cum igitur omnes simul ante tremendum Christi Tribunal steterimus, dicet ad me Judex: quid prædicasti? Ego autem respondebo: *Justitiam tuam non abscondi: veritatem tuam, & salutare tuum dixi*. Ad vos autem: quare vos non audistis omnia verba hæc, nec posuistis in præcordiis talia, ut serviretis mihi in sanctitate, & justitia? Quid tunc respondere poteritis judicanti Domino, cum verba ejus non custodieritis in corde vestro? Recté quidem, quia exosam habuistis disciplinam, auferetur a vobis stola jucunditatis, & induent vos Ministri Regis diploide confusionis. Igitur melius erat vobis ad hæc sancta Exercitia non venisse, quam post auditam Divini Verbi prædicationem pristinam repetere consuetudinem. Avertat Deus tam grande malum a cordibus Sacerdotum suorum, ut adinstar canis ad vomitum redeant, qui in hoc sancto Novenario per Jesu Christi gratiam deposuere malitiam. Ad vos misit Dominus hanc pluviam salutarem, Fratres desideratissimi, ut irrigante desuper ossa, faciatis fructum centesimum in patientia. (1) *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, benedictionem accipit a Deo. Proferens autem spinas ac tribulos reproba est, & maledi-*

(1) Epist. ad Hebræos cap. 6.

dictio proxima. Haud facilé credam vos ita esse, ut projicientes post tergum sermones Dei viam justitiæ deseratis, & commisceamini cum his, qui ambulant per anfractum miseræ perditionis. Confido autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti.

Et nunc, Fratres mei, opus, quod mihi a Reverendiss. Episcopo injunctum est, consummavi. Oportet autem post prædicationem iterum meam repetere solitudinem. Vado in desertum, ut ibi plangam per vitæ residuum multitudinem peccatorum meorum. Et nunc commendo vos Deo, & gratiæ ipsius. Habeo vos in visceribus meis, in medio corde, & vos diligo in veritate. Unde precor Cœlestem Regem, ut effundat super vos Spiritum vivificantem, qui faciat vos dignos Dei Ministros, ut faciatis ejus voluntatem, donec detur vobis ingredi in illam requiem, quam paravit Altissimus a constitutione mundi iis, qui obedientes fuere suæ voluntati. Rogo autem vos, ut in orationibus vestris mei memoriam faciatis, ut tandem detur mihi simul esse vobiscum in gloria, ubi regnat Sancta, & individua Trinitas per infinita sæcula Amen.

Absoluto sermone facta est processio: quâ finitâ Prædicator more solito genuflexus in medio Presbyterorum sequentem habet orationem.

ORA-

ORATIO ULTIMA IN VESPERE ANTE DISCESSUM A SANCTUARIO.

Primum orat pro Sacerdotibus. Demum pro Ecclesia ab hujus sæculi illuminatis in angustia posità.

Non datur signum cum campanula: sed prædicator orat per tempus suæ voluntatis.

PRonus corruens in faciem meam adoro Majestatem tuam, Domine, atque in fletu, & planctu accuso in conspectu tuo iniquitatem meam. Ne me, quæso, projicias in stagnum cum Angelis, qui tibi fuere rebelles tu, qui amictus carne in hunc mundum venisti salvos facere peccatores. Homo peccator sum, transgressor ex utero. Sed etsi peccavi, tuus sum ego: salvum me fac, & amplius lava me ab omni sorde tu, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine. Ne irascaris super orationem servi tui. Ascendat ad te oratio mea sicut incensum, & vota suscipe tibi humiliter offerentis animum. Memorare quæ mea substantia: & tibi, Domine, misericordia.

Et nunc, Domine, opus, quod dedisti mihi, ut facerem, consummavi, prædicationem absolvi. Unde fratrum meorum societate relictâ ad tempus secundum Præsulis voluntatem meam repeto solitudinem. Tacitæ vitæ desiderio flagrans vado in desertum. Attamen si adhuc

Sacerdotibus tuis ſum neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua. Sed quia voluntas tua nobis per tuos Præſules innoteſcit, relinquo prædicationis officium, & adducor in ſolitudinem, ut loquaris ad cor meum. Decedo ergo a fratribus meis, & quaſi avulſus ab eis proficiſcor cum dolore, quia diligo eos in veritate. Rogo te, ne deſeras eos, neque derelinquas, Domine. Non rogo te, ut tollas eos de mundo, ſed ut ſerves eos a malo. Tui ſunt: audierunt enim omnia verba oris tui cum gaudio, & firmiter retenturos ſpero. Igitur protege eos in potentia tuæ virtutis, neque avertas ab uberibus tuæ excellentiſſimæ charitatis, quos his in Exercitiis cibaſti pane lacrymarum, & potaſti vino compunctionis. Ecce Exercitiorum quiete relictâ coacti ſunt iterum ſæculi ſuſtinere tumultum, in cujus periculoſo theatro haud facilé eſt immunem ſervare animum a delicto. Sed tu Pater miſericordiarum abſconde eos in abſcondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Omnes hi jam mundi ſunt propter ſermonem, quem locutus es eis. Ne, precor, deſeras, ut inquinent veſtimenta ſua: ſed in omni tempore ſint veſtimenta ſua candida. Non tantum pro his rogo: rogo nihilominus pro cunctis Eccleſiæ tuæ Miniſtris, ut eis divinæ ſapientiæ venam aperias, & tui Altaris dignos efficias. Mirifica ſuper omnes miſericordias tuas, & fac, ut ſpiritu renovati ſanctitatis præbeant exemplum reſiduis populi tui.

Et

Et nunc, Domine, rogo te, pro Ecclesia sancta tua. Aspice de Cœlo, & vide, quoniam invenerunt nos multa mala. Non jam instant, sed extant tempora periculosa. Inveniuntur in populo tuo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros. Sub magnæ Meretricis umbraculo, sub Bestiæ velamento extollunt capita nebulones, homines corrupti mente, circa fidem naufragantes, Philosophi pestilentes, qui proprio innitentes cerebro, & privato inservientes enthusiasmo æternam per intellectum præsumunt deducere veritatem, & fidem per demonstrationem. Disseminant libros ea seducendi arte compositos, ut multorum facilé depravent sensum, & permixtâ Evangelicâ veritate corrumpant corda simplicium doctrinis dæmoniorum. Incantantes sapienter per dulces sermones subducto fermento malitiæ pessimant plebem tuam. Et, quod illacrymabilius est, non solum simplices a recté sentiendi culmine dejiciunt, sed etiam stellæ de Cœlo cadunt. Ex nobis ipsis insurgunt viri loquentes perversa: serpit velut cancer de fœtido revocata sepulchro fœculenta doctrina, qua sincera multorum credulitas passa naufragium ad purum transivit Naturalismum. Indomita grassatur opinandi libertas. Testimonia tua, quæ credibilia facta sunt nimis, non creduntur, sed omnia in dubium, crisim, & problema vocantur. Versa est omnis materia in occeanum opinionum. Academi-

mi-

micorum more controvertitur Evangelium; quo factum est, ut veneranda sententia amiserit cultum, & diminutæ sint veritates a filiis hominum. In fide nutantes amant peregrina, novitates diligunt, atque corruptâ cerebri massa in medio, & perspicuo die lumen quærunt: qui cum Ægypti palpabiles invenerint tenebras, lucem invenisse gloriantur: atque in cœcitate, quam tolerant, quasi in claritate luminis exultant. Afflicta est nimis Ecclesia tua, Domine. In pristinis Ecclesiæ sæculis singularis ferus impetebat animos Christianorum. Hodie vero omnes bestiæ sylvæ properant ad devorandum: omnia simul mala super nos irruunt. Materialistis, Incredulis, Dei .stis, Philosophis, & Rigoristis plena est terra Sanctorum. Hi novissimi alligantes onera gravia, atque fingentes inaccessibilem viam salutis avertunt turbam fidelium a frequentia Sacramentorum, pingentes te rigidum, & Deum duræ severitatis, cum tu sis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis. Velociores aquilis persequutores nostri in turbulento impetu properant, ut Religionem convertant in fabulam, & locum Sanctum in blasphemiam. Ecce omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas. Ablata est compositio, & pulchritudo a monte Sanctificationis tuæ: & nos multum repleti sumus despectione. In dies minuitur populus fidelium, & per momenta crescit Civitas impiorum. Et tu, Domine, super his continebis te, tacebis, & affli-

ges

ges nos vehementer? O Pater Sancte! Ut quid natus sum videre contritionem populi mei, & angustias habitationis domus tuæ? Tribulationis absynthio inebriata unum ex duobus a te postulat anima mea: ut vel tot infanda mala ab oculis meis avertas, vel me nimium dolentem e vivis eripias. Melior est enim mihi mors, quam vita amara. Circundant nos undique cuncta mala cum irruptione nimium violenta. Mysterium jam agitur: & solummodo restat, ut de medio multitudinis reveletur homo peccati, filius perditionis. Irruunt in nos illusores, homines vertiginosi, Cyclopes, superba factio gigantum, qui dum nobiscum pariter esse se simulant, murum pariter, & antemurale dissipare cogitant, arcem Sion prosternere tentant, atque ascendente semper superbiâ eorum, qui te oderunt, a cogitationibus suis pessimis non cessabunt, donec redigant, si fieri potest, Sanctuarium in proverbium, Templa Christianorum in tabernacula Protestantium, Ecclesiam tuam in speluncam latronum, & terram desiderabilem in Ægyptum. Exultant Catholicæ Religionis hostes videntes ab ipsis domesticis bellum agitari: sibilant, & movent capita sua dicentes: hæccine est Urbs perfecti decoris, gaudium universæ terræ? Quomodo conversa est in intestinæ revolutionis tumultum, quæ dicta est pacis visio, Domina gentium, funestumque irrequietæ discordiæ facta theatrum? Ubi est Deus eorum? qui est Deus pa-

cis,

cis, & non dissensionis? Nos audientes hæc contristati sumus nimis a voce inimici, & persequentis. Neque relictum est nobis solatium, nisi adversus insultantes nobis de Cœlo miseris adjutorium. Utinam disrumperes Cœlos, & descenderes, ut videas afflictionem nostram, & in multitudine miserationum protegas nos a contradictione linguarum. Usquequó peccatores gloriabuntur, Domine, intestina bella cientes, & loquentur sublimia gloriantes? Quando desistent hostes a violento armorum strepitu, & impii cessabunt a tumultu? Ecce nos gementes sumus in angustia: conglutinata est anima nostra ab annis, quibus vidimus mala: quasi pupilli absque Patre sedemus in tristitia levantes oculos nostros in montes unde veniet auxilium nobis. O Domine, quem finem habebunt tot, & tam prodigiosa mala? Nos, nos Ecclesiastici irritavimus iram tuam. Nos causa sumus, ut in filios iniquitatis mittas spiritum erroris, & in præceps corruat copia christianæ multitudinis. Sacerdotum culpa est, ut flagellis percutias populum tuum. Apparet enim in multis Ecclesiasticis non vita Canonica, sed pagana. Ambitiosis, superbis, criminosis, luxuriosis, avaritiæ deditis plena est Ecclesia tua, qui Athæistarum more viventes suis actibus innuunt non esse nisi fabulam, quod promittitur in futurum. Cumque in jejunio, cilicio, & cinere pœnitentiam agere deberemus, indignationem tuam procaciori

vi-

vitæ licentia, & ſcandalo provocamus. Sed tu, Domine, contine iram tuam in miſericordia, & non miſericordias tuas in ira tua. Projice in profundum maris omnia peccata noſtra, & ne ſileas, neque compeſcaris, Deus. Diſſipa gentes, quæ oderunt pacem, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Ecce Sponſa tua, quam ſponſaſti tibi in fide, Civitas glorioſa, Eccleſia ſine ruga, Jeruſalem pacifica gemit hodie in diræ tribulationis anguſtia, ablatâ debita reverentia Sacerdotio, infami mancipata ſervitio, & quæ erat libera, facta ſub tributo. Et tu, Domine, hac in opportunitate, hac in tribulatione quieſcis in cubili tuo cum pueris tuis? Exurge, quare obdormis tu, qui cuſtodis Iſrael? Apprehende arma, & ſcutum, libera nos de manu tribulantium, contere capita deprimentium tu, qui in potentia virtutis tuæ humiliaſti Egyptum, & tu, qui in novacula conducta raſiſti barbam Regis Aſſyriorum. Feſtina tempus: cito velociter exaudi nos. O Domine, tribulamur nimis! Quare non imperas ventis, ut ceſſent a turbine diræ conſpirationis? Eja, Domine, exurge: noli jam amplius dormire ſuper cervical navis. Salva nos: perimus. Fac tranquillitatem, ut Eccleſia, quam ædificaſti, in pace conſtituta cantet cum lætitia: Tibi ſoli laus, honor, & gloria per infinita ſæcula. Amen.

Fi-

Finitâ Oratione, & accepta Episcopi benedictione unusquisque in domum suam profectus est.

Domino nostro Jesu Christo, & Patri per ipsum honor, laus, gloria, & imperium per æternitatis sæcula. Amen.